



WIDENER LIBRARY
HX JH3R U

JOSEPHI BENVENUTI


PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS, SS. D. N. PAPÆ EQUITIS, ACADEMIÆ IMPERIALIS GERMANICÆ PRÆSIDIS ADJUNCTI, REGIÆ GOTTINGENSIS, PHYSICO-BOTANICÆ FLORENTINÆ, INSTITUTI SCIENTIARUM BONONIENSIS, SODALIS

DE DÆMONIACIS
DISSERTATIO.



LUCÆ
MDCCLXXV.

TYPIS JOANNIS RICCOMINI
PRÆSIDUM APPROBATIONE.


HARVARD COLLEGE
OCT 31 1901
LIBRARY

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANDREÆ CORSINIO

S. R. E.

CARDINALI

CLEMENTIS XII.

PONT. OPT. MAX.

NEPOTI

Joseph Benvenutius.



Ncipiti eram animo, PRINCEPS EMINENTISSIME, num TIBI Opusculum istud ve-

nerabundus offerrem; doni etenim exiguitas me a suscepto consilio abducebat, benignitas tua invitabat. Gratus memini quanta me comitate excepisti, cum aliquot abhinc annis, observantiam erga TE meam humiliter testari licuit, sacrasque tuas manus exosculari: quem honorem THERESIAE Sorori tuæ, optimi Principis DE CAETANIS Conjugi, acceptum refero, ingenio ac moribus incomparabili Mulieri, cujus gratia immeritus fruor,

ex quo Ejus valetudini prospexi, cum ad Lucenses Thermas accessisset.

Humanitati huic tuæ, CARDINALIS AMPLISSIME, *maxima in sacras res pietas conjungitur, qua vel tenuissima clientulorum munera, libenter* TE *excepturum censui, ubi Catholicæ Ecclesiæ decorem tueantur. Ejusmodi vero cum sint quæ scribenda suscepi, eapropter speravi ut sapienti tuo judicio comprobentur; quod si impetravero, in publicum se-*

curus prodibo, ea enim apud omnes est dignitas tua, ut qui sub tanto patrocinio degit, malignos afflatus nihilum pertimescat.

Pondus profecto meis humeris impar; conatus tamen, ni fallor, inutiles haud futuri: nam si in re gravi parum præstitisse videbor, ea ipsa de causa alios provocabo, ut felicius cum Ecclesiæ hostibus pugnent.

DEUS OPTIMUS MAXIMUS, Te, PRINCEPS EMINENTISSI-

ME,

ME, in Supremi Senatus Ecclesiastici splendorem diutissime servet, præmia simul tuis virtutibus digna elargiatur.

DE

DE DÆMONIACIS DISSERTATIO.

Quæ magni nominis Vir Richardus Mead, Anglus Archiater, opera edidit, mihi olim comparaveram; merito enim ab eruditis laudantur, neque Medici bibliotheca illis carere poteſt. Poſtquam vero optimæ frugis Librum, utiliter perlegiſſem, occurrit in fine Cajacenſis Epiſcopi reſcriptum, quo Neapolitano ſupplicanti Typographo, imprimendi facultas conceditur, dummodo ex Auctoris operibus variis, illud exclu-

datur, cui titulus, *De morbis qui in Sacris Bibliis memorantur*. Curiositate motus, reprobatum Librum apud Italos plerosque Bibliopolas frustra exquisivi, donec tandem Amicus attulerit, cum a Lipsiensibus nundinis rediret, certe adfirmans, pluries jam in Germania, & in Gallia, post Amstelædamensem editionem, recusum fuisse. Auctoritate a Sacræ Inquisitionis tribunali mihi jampridem concessa, cum illum legere exordirer, valde profecto admiratus sum, ægreque tuli; quod in ipsa præfatione Summum Pontificem, venerandosque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritus; Auctor contemneret, simul vero contra ipsam veritatem quoad Energumenos sentiret. En ejus

verba. *Quis non merito irridet solemnes istos Romæ Pontificum ritus, quibus exorcizantur, ut loqui amant, Dæmoniaci, dum homines gestus quosdam, & furores, simulare docti, quales a malis geniis provenire putantur, aqua lustrali & precibus quibusdam, quasi incantamentis, sui compotes fieri, & a Cacodæmonibus liberari sese fingant?* Summi Sacerdotis, Christi in terris Vicarii contemptum verba ista redolere, facile agnoscimus; honestum autem Virum non decet, utut a Romanæ Ecclesiæ dogmatibus dissentiat, maximi Principis dignitatem aspernari. Ego vero postquam mirari non desino, publica nimis in re, quæ Catholicæ Ecclesiæ decorem valdopere lædit, Ejusdem defensioni, contra Meadium scri-

bendo, neminem profpexiffe; æquo erga illam amore excitatus, tametfi viribus impar, calamum arripio, Deoque favente, oftendere conabor, Viri hujus, cæteroquin clariffimi, ejufdemque affeclarum quoad Energumenos fententiam, prorfus erroneam effe.

Fateor me de hominum a Satana obfefforum exiftentia minime dubitare; inter credulos tamen locum non habere, qui eorum multos dari opinantur, quique præftigia, fpectra, incantationes, maleficia, ubique fomniant reperiri. Utinam difficili hac in re, ipfi Ecclefiæ Miniftri, quibus exorcizandi facultas conceditur, æquo procliviores ad credendum aliquando non effent;

ſent: ac ab idoneis quoque Phyſicis (quorum eſt ea quæ corpora naturaliter patiuntur explicare) antequam officium exercerent, exquirerent, num a Dæmonis obſeſſione, an potius ab ineptis mentis aberrationibus, veroque vel fictitio morbo, mira ſymptomata proficiſcantur: ita enim ſacri iidem Exorciſtæ, neque deſipientium deliramenta, gravi horum damno, facile foverent; neque a vaferrimis mulierculis perſæpe deciperentur; qua quidem de cauſa, Sacrorum Rituum ſpretus, atque in Catholicis ipſis incredulitas, oriri poteſt. Id pro certo habendum, a Redemptoris in mundum adventu, Diaboli potentiam in Homines, non quidem prorſus

abla-

ablatam, ſed valde imminutam fuiſſe; qua de re non ita frequenter quin, rariſſime, veri Energumeni occurrunt.

Poſtquam igitur ſententiam meam circa Dæmoniacorum exiſtentiam, atque Eccleſiæ in eos poteſtatem explicavero; operæ pretium erit præcipua ſigna indicare, quibus veri Energumeni a fictis aſtutiſque diſcerni queant (ægros enim, ac mente imbecilles facile noſcimus) ne eorum fraudibus ac figmentis ſacri Exorciſtæ decepti, gentium ludibriis exponantur, eiſque aptanda ſit ſententia. *Qui cito credit, levis eſt corde. Eccl.* 19.

Indecorum Philoſopho eſſe, rei alicujus exiſtentiam admittere, cauſam vero illius ignorare, hodier-

hodierni quidam pſeudoſapientes opinantur, quorum aliqui haud ita pridem, de Energumenis mecum diſputantes, inter veros Philoſophos me locum non habere pronunciarunt: errare autem illos, veri ſapientes credunt: quin potius hoc nomine indignos judicant, qui mirabilia captum ſuperantia ex ordine naturæ excludunt; quod ſcilicet ipſam excludant philoſophiam, ut recte monuit Plutarchus. *Quodammodo philoſophiam tollunt, qui rebus mirabilibus fidem non habent* (*Sympoſ. Lib. V. cap.* 7.) Humiliavit hominem Deus, ejuſque intellectui limites circumſcripſit, ea quidem de cauſa, ut Andabatarum more, quæ præcipue religionem reſpiciunt, indubie crederet, magiſque me-

rere-

reretur, ſi altiora ſe ſcrutatus non fuerit. Vanitas exulet, & ſuperbia, ignaroſque nos eſſe, qua convenit ſinceritate fateamur. Multa quæ non intelligimus credere tenemur: de iis vero minime ambigere debemus, quibus ex Dei vel Sanctæ Matris Eccleſiæ præcepto, fides adhibenda.

Ut vero ad propoſitum deveniam, Diaboli potentiam in humana corpora, ſacrorum textuum auctoritate: phyſicis rationibus: Doctorum denique virorum teſtimonio, demonſtrabo.

Redemptor noſter Jeſus Chriſtus, cum humanam carnem aſſumpſit, atque in terris habitavit, ad Cœlum aſcenſurus, in ultimo ſuo ad Apoſtolos; Diſci-

pulos hæredemque Ecclesiam, sermone, inquit. *In nomine meo Dæmonia eiicient, linguis loquentur novis &c. Marc. cap.* 16. Rursumque ex Evangeliis habemus. *Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit. Marc. Cap. 9. vers.* 25. Qui ergo de Evangelii veritate non dubitat (quemadmodum clariss. Meadium de ea non dubitare, in hoc suo Libro videtur) Dæmoniacos admittat necesse erit. Ne-

que ſubterfugii ergo, ut labantem ſuam ſententiam fulciret Meadius, ſcribere debuiſſet, Chriſtum tam in citatis locis, quam occaſione *mulieris Satanam habentis jam annos duodeviginti. Marc. cap. 19. v. 17. Luc. cap. 13. v. 17. more loquendi communi* uſum fuiſſe; (*Medic. ſacra Capit. jx. pag.* 54.) cauſa etenim nulla eſt, cur eo modo, maxima præſente hominum turba, loqui debuiſſet Redemptor, neque parabolica ſunt quæ Idem protulit verba: *Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum:* luce ergo clarius eſt, homines illos, de quibus loquuntur Evangeliſtæ, a Satana obſeſſos revera fuiſſe; in naturali enim morbo, contra atque

opor-

oportebat, vel loquutus Jesus non esset; vel eodem modo, sicuti alias fecit, remediis, aut verbis sanasset, ut sicubus in prioris Testamenti libris sanatum legimus Ezechiam, *Reg. Lib. IV. Cap.* 20.; turbida piscinæ aqua paralyticum: saliva, ac luto cæcum. *Matth. Cap.* 8. & 9. *Johann. cap.* 5.; a sanguinis profluvio Mulierem. *Matth. Cap.* 9. *vers.* 20. Si ergo Satanæ imperavit ut exiret ab Homine, minime dubitandum Satanam in illo adfuisse, nec *more communi loquendi* verba illa a sapientissimo Servatore nostro fuisse prolata; eo magis quod a Discipulis interrogatus, cur non potuerint Ipsi illum spiritum eiicere, respondit: *Hoc genus non potest exire, nisi in oratio-*

ne, *ac jejunio*. *Marc. cap.* 9. *v.* 25. *Luc. cap.* 9. *v.* 42. Ad rem faciunt quæ clariſſ. de Haen ſcripſit in *Ration. meden. Tom. XV. cap.* 4. *pag.* 156. „ Eos volumus
„ qui admittunt revelationem,
„ eoſdemque precor, ut depoſi-
„ ta præoccupatione, Sacra Evan-
„ gelia pervolvant diligenter,
„ notaſque ad illos affigant, qui
„ Dæmoniacorum meminerunt
„ locos: centenario plures ejuſ-
„ modi notabunt, qui ſincere
„ conſiderati, non permittent
„ unquam illis, ut ad non præ-
„ ternaturales morbos, has re-
„ ferant Dæmoniacorum hiſto-
„ rias. Videbunt Dæmones id
„ effatos, quod homines, quos
„ obſidebant, ignorabant. In
„ principio certe ignorabat Iſrae-

liti-

„ litica gens, Jeſum, & Meſ-
„ ſiam eſſe, & Dei Filium; u-
„ trumque Diaboli homines ob-
„ ſidentes, ultro fatebantur. U-
„ bique curationes morborum ab
„ illis Dæmoniacorum diſtingun-
„ tur, diſtinctæque enarrantur „.

Ejuſdem plane roboris ſunt quæ Meadius ſubjungit. *Medic. Sacra pag. 56. Et nemo opinor exiſtimabit Dæmonibus conceſſum eſſe, ut homines pro libitu ſuo furiis exagitent.* Reſpondemus paucis, exiſtimare nos permiſiſſe Deum homines a Dæmonibus exagitari, non quidem ad libitum, ſed modis, ac tempore conſtitutis, prout æquitati ſummæ ſuæ videbitur, vel peccata noſtra variis pœnis punire, vel dilectorum etiam ſuorum, ut in Jobo accidit, patientiam

expe-

experiri, ac tentantem Diabolum confundere.

Cum vero ſint qui Sacrorum Librorum authoritatem impugnent, eorumdemque Scriptores, tamquam apocryphos damnent, neque revelationem admittant; facile hinc coniici poteſt Dæmoniacos non tantum, ſed Diabolum quoque, ab inſanientibus iſtis impudenter negari. Utinam non incidiſſemus in mala tempora, quibus nempe, Viri etiam operum mole noti, materialiſmo (ut clarius loquar) infatuati, gloriæ ſibi tribuunt deſipere! Deberent profecto hodierni iſti, ut loqui amant, Philoſophi, pro certo habere, variarum Sectarum Libros (ſive bonæ, ſive malæ ſint) ab Auctoribus

ribus quorum nomen præsefe-runt, editos fuisse, & dogmata varia continere, prout varia homines circa Religionem cogitarunt. Quisnam ex. gr. non credet Mahometanæ legis præcepta Alcorano contineri, Hebraicæ Thalmudo &c.? Cur igitur de Sacrorum Textuum, Novique Fæderis Librorum Auctoribus, & auctoritate dubitari poterit, si ingenua Christianorum omnium traditione, nulla temporum calamitate interrupta, Sanctæ nostræ Religionis dogmata, eos continere didicimus? Quod si quisquam apud Judicem, scriptum aliquod tamquam falsum condemnaret, de cujus veritate publice jam constet; sola assertio non sufficeret, sed accusan-

tis esset, valide contra illum probare, alioquin scriptum illud plena in auctoritate maneret. Si ergo pars maxima Christianorum qui rationibus nituntur, quibus intellectus repugnare nequit, de veritate librorum Sacri Fœderis, eorumdemque Auctorum, minime dubitavit; plane non video cur a paucis tantummodo, de istis dubitari possit, absque eo quod contraria proferantur valida argumenta.

Tertullianus asserit Librorum hujusmodi aliquot archetypa suo tempore extitisse: Judæi etiam & Pagani pro certo existimarunt, eorum esse Scriptorum, quorum nominibus insigniuntur. Julianus ipse qui Ethnicismum amplexus, Christianam Religionem

dese-

deſeruit, contra quam librum edidit, a Cyrillo Alexandriæ Epiſcopo confutatum; ferox ille ac perfidus Apoſtata, qui accepto lethali vulnere, manu cruore repleta, in aera projecit, ut Chriſto blaſphemaret; fatetur Petri, Pauli, Marci, Matthæi, Lucæ, revera eſſe, quæ ſub eorum nomine ſcripta legimus, quibus adjungendi Divus Hieronymus, S. Epiphanius, & Euſebius, qui authographum ſe vidiſſe teſtantur S. Matthæi hebraice conſcriptum, quod octo circiter annis prodiit a morte Redemptoris, dum adhuc viverent miraculorum teſtes, quorum nemo contra obiicere auſus fuit. *Vid. Bellarmin. de Scriptorib. Eccleſiaſt.* Sin vero hæc admittantur, jam omni-

bus Hiſtoricis credendum non erit, vel ſaltem Q. Curtii, T. Livii, Plutarchi &c. &c. ea eſſe, quæ eorum nomen præſeferunt, dubitare debebimus.

Vera autem eſſe quæ ſacris his Codicibus continentur, quiſnam inficiabitur? Scriptorum probitas, & ſimplicitas, maxima morum ſuavitas, in eorum actionibus ſemper effulſit. Cur ergo pro deceptoribus habendi erunt? Quomodo Homines qui futuram a morte vitam, eamque æternam expectant, Deum ſimul mendacii vindicatorem prædicant, mendaciis ipſis æternam fælicitatem conſequi poſſe ſperabunt? Qui certo ſciunt mendaces ab irato Judice puniri, ſeipſos calamitatibus, periculis, martyriis, exponent,

ut Christianam fidem propagent, ac tueantur? Qui gloriosum humani generis benefactorum titulum adipisci exoptant; qui ubique veritatis ac pietatis studium inculcant; nulla de causa seipsos crimine falsi obstringent, eorumque Sectatores, sævissima tormenta, & mortem pati permittent, absque eo quod promissum in Coelis præmium securi consequantur? Non tantum apud bonos omnes detestabile id fuisset, sed Romanis legibus capite puniebatur. Dum suadere Gentibus tentant Apostoli evangelicam veritatem, atque Christianæ Legis utilitatem; quæque publice recenterque contigerunt facta, circumstantiis omnibus adnotatis, describunt; auctoritate, & gra-

tia non excident, si quæ narrant falsa deprehendantur? Non ultro fide digni fuissent, si scelera ista patrassent. Quis autem Apostolos scelestos audivit? Qua de causa verborum illecebris Populum illudere?

Respondebit forsan aliquis, Apostolos seductorum fallaciis passos se irretiri, aliosque propterea seduxisse. Si de metaphysicis rebus sermo esset, facile intelligo aliquem deludi potuisse, falsamque forsan prodiisse doctrinam; mens enim hominis dum subtilia meditatur, talibus aliquando viribus non viget, ut vera a falsis discriminet; sed de rebus hic agitur notoriis, quæ sensuum sub judicium cadunt. Quem Populus agnovit Homo,

publice occiditur, publice resurgit; tenebras ab ejus morte admirantur omnes per universam terram; terræmotus fiunt &c. Ubi autem seductionis suspicio in iis, qui cæcum vidisse affirmant, claudos ambulasse, Satanam a corporibus exiisse, mortuos surrexisse? Quæ omnia frequens Populus videt & admiratur.

Evangelica auctoritate Dæmoniacorum existentiam demonstravimus; inquirendum nunc erit, quomodo physice possit Diabolus in humana corpora agere.

Ubi experientiæ nitimur, disputationes & ratiocinia exulent necesse est. Tametsi modum ignoremus, experimur tamen, ad nutum, & voluntatem spiritualis substantiæ, animæ scilicet no-

ſtræ, motus in corpore fieri. Ipſa autem anima, non immediate muſculos movet, ſed ſpirituum animalium ope, per nervos excurrentium id exſequitur. Ceſſante hinc elaſticæ hujus materiei ad partem aliquam influxu, ceſſat in illa motus, neque iterum reviviſcere poteſt, niſi ceſſationis cauſa remota fuerit. Luculenter ergo conſtat, in humano corpore, ſolo animæ deſiderio ac voluntate (quæ actio certe immaterialis eſt) membrorum motus excitari. Pari ergo ratione Diabolus corpora movere poterit, eorumque actiones vel recte perficere, vel etiam aliquando pervertere. Non omnia tamen in corporibus Satana poteſt, ejuſdemque inſidiis limites Deus

præ-

præſcripſit. Primum vero ea agere nequit, quæ ordinem, vireſque naturæ traſcendunt, quæque tamquam miracula a Deo proficiſcuntur. Excluditur ergo Diabolus ab omnibus miraculoſis effectibus, quia nullum jus habet in ordinem naturæ. Quoniam vero hujuſmodi effectus interdum pro naturalibus habentur; præſtabit ea quæ naturalia ſunt, a miraculoſis diſcernere, phyſicaſque effectuum cauſas ſedulo ſcrutari, priuſquam de rebus judicemus. Rem exemplo elucidabimus. Agitatur quæſtio num Diabolus poſſit corpora humana ex uno loco in alium per aera transferre: quod quidem negandum: extra ordinem etenim naturæ, & verum miraculum fo-

ret, a Satanæ poteſtate alienum; nam cum ſpecifica gravitate humanum corpus fluido aeris haud parum præponderet, juxta motus leges, deorſum tendere debet; Diabolus ergo vel corpori gravitatem tollere, vel aerem ita gravem reddere deberet, ut ipſius corporis ſpecificum pondus excederet; quod idem foret ac rerum naturam immutare, verumque miraculum eſſet. *Vid. Tartarotti del congreſſo notturno delle Lamie Lib. 2. Cap. 1. §. 7. Et Baroni L' impotenza del Demonio &c. Rovereto* 1753. Pace id dictum volo Theologorum quorumdam aliter opinantium, exemplo præcipue Salvatoris noſtri a Satana advecti ſupra pinnaculum Templi: Ipſe enim Chriſtus ad tentatio-

nem

nem ſponte proficiſcebatur, ut notavit Origenes: quamobrem *in ſequente Domino, non infirmitas, ſed patientia: in ducente Diabolo, non virtus, ſed ſuperbia. Baroni Lib. cit. cap.* 10. *pag.* 124.

Idipſum de Sagarum tranſvectione ſentiendum eſt: fabulæ enim ſunt, inſomnia, & phantaſticæ illuſiones, quæ de his narrantur. Godelmannus in tractatu de Magis *Lib.* 2. *cap.* 4. de muliere Megopolitana verba facit, quæ in crimen vocabatur, quod conventiculis Sagarum ſæpius interfuiſſet. Fidem rumori denegabat nobilis vir, cui mulier iſta famulabatur; exploraturus tamen rem, placidis verbis famulam rogavit ut vera exponeret. Reſpondit demum eiſdem

conventiculis revera interfuisse, crastinaque nocte ibi redituram fore. Herus interim, adscitis Parocho & domesticis, mulierem diligenter custodiebat, quid futurum spectaturus. Illa vero unguento quodam se illiniens, ab alto somno, nec illa nocte, nec postridie potuit excitari; expergefacta demum, una cum aliis veneficis in conventiculo se fuisse obstinate affirmabat, a Diabolo decepta.

Ut autem ad propositum revertamur, quomodo Diabolus in humanum corpus, & in animam ipsam agere possit, explicabimus. Dicimus ergo in intellectum & voluntatem influere quidem, sed mediis phantasmatibus, & corporis organis, quamquam hæ fa-

cultates prorſus immateriales ſint. Quis autem Dæmonem in propria voluntate negabit, cum divinis Legibus adverſas inclinationes, & ad peccandum ſtimulos perſentit? Omne bonum a Deo eſt, malum vel a concupiſcentia, vel a Diabolo, in his quæ conſcientiam reſpiciunt. Quod autem ad phantaſiam attinet, ſicuti nulla impreſſio externorum objectorum in ſenſoriis fieri poteſt, nullaque idea in mente excitari, niſi ſpirituum animalium miniſterio; Spiritus hinc tenebrarum, mille fraudibus & erroribus, hominum phantaſiæ tenebras offundit, ſpirituum motus variis in partibus turbando, variaſque impreſſiones inferendo, unde variæ ſenſationes, variæ-

que in mente ideæ insurgunt; quæ quidem insomnia Dæmoniaca, sive Satanæ influxus in phantasiam, merito dici possunt, qualia persæpe in maleficis mulieribus, cæterisque Dæmonum amicis accidunt, cum translationes, apparitiones, mutationes in varii generis bruta, & similia, revera contigisse obstinate credunt, nec errores hujusmodi ex eorum animo evelli patiuntur.

Varios etiam morbos in humano corpore a Diabolo excitari posse negari nequit, præcipue vero illos qui ab animalium spirituum præpedito, adaucto, vel quomodolibet perturbato motu originem ducunt, de quibus in sacris paginis mentio fit, maximeque sunt epilepsia, furores,

jacta-

jactationes, melancholia, convulsiones &c. Sanguinem quoque, cæterosque humores alterare Diabolus poteſt, varie ſcilicet fluida iſta dirigere; nimis inſpiſſare, vel diſſolvere; augere, vel imminuere; qualitatem inficere; fibras etiam flaccidas, aut rigidas reddere, erodere, perrumpere; quibus modis nemo non agnoſcit, morbis quamplurimis fores aperiri.

Proximum jam eſt, poſtquam Sacrorum Textuum auctoritate, Phyſicisque rationibus, Cacodæmonis in humana corpora poteſtatem oſtendimus; ut Virorum etiam doctrina & integritate præſtantium, obſervata quædam, & experimenta producamus.

Joannes Fernelius, doctissimus vir, Henrici II. Galliarum Regis Medicus primarius, editis operibus celebris, ubi de abditis rerum causis agit *Lib.* 2. *Cap.* 16. Satanam scribit humana corpora variis modis vexare, nobilisque Juvenis morbum enarrat, miris convulsionibus laborantis, corpus tali celeritate, decies minimum quotidie, exagitantibus, ut vix a quatuor ministris decumbens cohiberetur. „Quid est „ quæso, inquit Auctor, cur tam „ accommodatis remediis mor- „ bus non cessit? Quoniam o- „ mnes Medici longe aberamus „ a cognitione veri, nam men- „ se tertio, deprehensus est Dæ- „ mon totius mali auctor, vo- „ ce, insuetisque verbis, ac sen-

„ ten-

„ tentiis, tum græcis, tum lati-
„ nis (quamquam ignarus lin-
„ guæ græcæ laborans esset) se
„ prodens. Is multa assidentium,
„ maximeque Medicorum, se-
„ creta detegebat; ridens quod
„ eos magno periculo circum-
„ venisset, quodque irritis phar-
„ macis pene jugulassent. Quo-
„ ties ægrotum Pater accersebat,
„ is procul a conspectu inclama-
„ bat, arcete hunc, & ab in-
„ gressu propulsate, aut torquem
„ e cervice detrahite: ex ea enim
„ Divi Michaelis imago pende-
„ bat, cujus Ordinis eques erat.
„ Neque hæc, subjungit Auctor,
„ ut nova profero, sed ut con-
„ stet Dæmones variis & inau-
„ ditis modis corpus lacessere,
„ humores exagitare, noxios in

„ prin-

„ principes partes traducere, vel
„ hisce venas aliosque ductus
„ obstruere, vel instrumentorum
„ structuram permutare; quibus
„ ex causis innumeri morbi fiunt.

Joannes Langius Friderici II. Imperatoris Archiater, in *Medic. Miscellan. Lib.* 1. *epist.* 38. notatu dignam historiam a se observatam refert in Agricola, qui acutissimo dolore in hypocondrio laborabat. Agnovit ille clavum ferreum inibi adesse sub illæsa cute, manuque prehendit, quem Chirurgus novacula excidit: nec tamen dolores cessarunt, sed magis indies increbuerunt. Guttur hinc sibi, desperatus æger abscidit. Cadavere aperto, adstante ingenti hominum frequentia, lignum in ventriculo

teres & oblongum; quatuor ex chalybe cultri, partim acuti, partim ſerræ inſtar dentati; & duo ferramenta aſpera, reperta ſunt, quorum ſingula palmi longitudinem excedebant.

Elias Camerarius, publicus in Tubingenſi Academia Medicinæ Profeſſor, & Archiater Wirtembergicus, in Libro cui titulus *Syſtema cautelarum medicarum pag.* 645. morbum deſcribit ab Henrico ab Heers obſervatum in Puella, quæ aciculas, ligulas &c. vomitu rejecit. Addit vero clariſſimus Auctor: „ Ri-
„ dent hodie plerique talia, ri-
„ deant vero, non tamen facta
„ temere explodent, quæ præ-
„ ſtigiis Dæmonum non male
„ adſcribuntur: *& ibid. pag.* 619.

„ Vis Diaboli, & Magiæ adeo
„ hodie contemptim habita, a
„ Medico prudenti non plane
„ negabitur, ſed nec temere u-
„ bique admittenda.... non li-
„ cet adeo promiſcue cum Mo-
„ dernis, faſcinationes in uni-
„ verſum omnes tamquam fabu-
„ loſas rejicere, ubi maxime pe-
„ regrina ex corpore, miris mo-
„ dis excluduntur; vix riſum
„ contineas, ſi per mechaniſmum
„ in corpus immiſſa, & protru-
„ ſa, cum nupero Philoſopho
„ Gallo audeas operoſe adſtrui,
„ ac ſpecioſe deduci! „ Maxima quidem admiratione caperetur, ſi adhuc viveret illuſtris Camerarius, Diſſertationem perlegendo, haud ita pridem a clariſſ. Valcarengo Ticinenſi Profeſſore

editam, qua probare adnititur, acus, ferrea, vitreaque non exiguæ molis fragmenta, a Sacra Virgine Cremonensi, iterato per vomitum rejecta, minime a Dæmonum præstigiis repetenda fore.

Fridericus Hoffmannus, Borussorum Regis Archiater, Scriptor insignis, in *Opusc. Physic. var. Dissert. IX.* §. 24., singularem narrat casum, qui anno 1685. Jenæ contigit. Uxor cujusdam Lanii, caput vitulinum inter alia venale habebat: quod cum vetula quædam licitaretur, recusavit altera minori quam par esset pretio vendere. Vetula illinc obmurmurando abiit, acciditque ut venditrix magno capitis dolore cruciaretur, quo in dies aucto, Dominus Slevogtius, Publicus

in illa Universitate Medicinæ Professor, in consilium vocatus fuit. Inutilia fuere propinata remedia, cum omnia in ægrotante præter naturæ ordinem fierent; excernebat enim quotidie ægra magnam cerebri copiam per aurem sinistram, nullo apparente vulnere, aut ruptura. Habebatur tale excrementum pro cerebro humano; at re diligentius considerata, & a doctissimo præsertim Stahlio perpensa, agnoscebatur vitulinum esse, idque eo certius, quo citius multa etiam ossicula caput vitulinum constituentia, ejiciebantur. Fecit Satanas hos ludos per aliquot menses, quibus elapsis, Uxor Lanionis integre convaluit.

Inſtar vero omnium, teſtem ſapientiſſimum adhibebo, celeberrimum Van-Swieten, Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris, & Imperatricis Conſiliarium, & Archiatrum, gravi literariæ Reipublicæ damno, meique potiſſimum, qui ſæpe hoc oraculum, dubiis in rebus conſulebam, nuper vita functum; cujus verba ex commentariis ad Boerhaavium §. 1072. fideliter tranſcribam.

„ An autem abſolute negari po-
„ teſt, quod morbus ille (Epi-
„ lepſia) unquam a cauſis ſuper-
„ naturalibus productus fuerit?
„ Certe non videtur; nam puer
„ ille epilepticus, de quo præce-
„ denti paragrapho dictum fuit,
„ ſanatus fuit ab adorando Sal-
„ vatore, expulſo Dæmonio.

„ Pro-

,, Probe novi, ſummos in arte
,, viros ſtatuere, a cauſis natu-
,, ralibus hunc morbum produ-
,, ctum fuiſſe; & æque ſtupen-
,, dam eſſe ſanationem tanti mor-
,, bi, ab infantia jam affligen-
,, tis, quam Dæmonis expulſio-
,, nem; ſed certe huic opinioni
,, mihi parum favere videtur ipſe
,, textus, qui ſic legitur: ,, *Objurgavit ſpiritum illum impurum dicens ei: Spiritus mute, & ſurde, Ego tibi impero: exi ab eo, & ne amplius ingrediaris in eum. Et clamans (Spiritus) & multum diſcerpens illum exivit.* ,, Diſcipulis poſtea priva-
,, tim interrogantibus, cur non
,, potuerint ipſi ejicere illum ſpi-
,, ritum, reſpondit: ,, *Hoc genus in nulla re poteſt exire niſi in oratione, & jejunio.* ,, Solebat autem

,, Chri-

„ Christus Discipulis suis (ut ex
„ pluribus Sacræ Scripturæ locis
„ patet) postea exponere, quæ
„ hominum auscultantium tur-
„ bis dixerat, & quæ non sa-
„ tis intellexerant: jam autem
„ talia illis dicit, quæ manife-
„ ste firmarent illam opinionem,
„ quam habebant, quod a malo
„ Spiritu morbus miseri illius
„ pueri productus fuerat. Certe
„ Dæmoniaci illi de quibus le-
„ gitur in Sacris: „ *Matth. cap.* 8.
vers. 28. & *seq. Marc. cap.* 5. *vers.*
2. *Lucæ cap.* 8. *vers.* 27. „ habe-
„ bant talia symptomata, qua-
„ lia in Maniacis observantur,
„ sed diserte in textu asseritur,
„ Dæmones egressos fuisse de
„ miseris illis, & venia impe-
„ trata, abivisse in gregem por-

„ co-

,, corum, qui mox furibundi,
,, de præcipitio in mare ruerunt.
,, An poteſt ille textus ullo mo-
,, do intelligi de melancholico
,, delirio, aut mania a cauſis na-
,, turalibus nata? Hinc patet mor-
,, bos eoſdem, quos a cauſis na-
,, turalibus naſci novimus, etiam
,, a ſupernaturalibus productos
,, fuiſſe. Vidi innocuum qua-
,, driennem puerum, qui ſimu-
,, lac orationem Dominicam re-
,, citare incepiſſet, convelleba-
,, tur illico; & ſimul tantum ac
,, tam horrendum clamorem ede-
,, bat, qui ejus vires longe ſu-
,, perare videbatur: interpoſito
,, aliquot minutorum intervallo,
,, iterum rogavi Aviam, quæ
,, puerum ad me adduxerat, ut
,, juberet puerum eaſdem preces
,, repe-

„ repetere, idque in quartam vi-
„ cem uſque, ſemper eodem cum
„ ſucceſſu; & licet eventum præ-
„ vidiſſem jam, ac animum ob-
„ firmarem; non potui impedi-
„ re, quin, audito hoc clamo-
„ re, horrerem totus, quamvis
„ me non adeo puſillanimem cre-
„ dam, ut a levioribus facile
„ movear. Licet autem ſcrupo-
„ loſo examine omnia expende-
„ rim, non potui vel minimam
„ malæ fraudis ſuſpicionem ha-
„ bere. Videtur hinc prudentis
„ Medici eſſe, non ſemper &
„ ſtatim, ubi inuſitata in mor-
„ bis ſymptomata apparent, ad
„ cauſas ſupra naturam poſitas
„ refugere; neque etiam impoſ-
„ ſibilia pronunciare illa, quæ
„ facta fuiſſe certo novimus. „

Quamplurimas hujusmodi historias narrare possem ex Benivenio, Sennerto, Timæo, Mercklino, aliisque fide dignis doctissimisque Medicis Auctoribus excerptas: quas autem descripsi, ad rem nostram sufficere possunt. Cur etenim plura scribere, si præstantiorum in rebus physicis Virorum testimonia jam adduximus? Cuinam, quæso, recte judicanti, æquum non videbitur, plenissimam istis fidem adhibendam fore?

Coronidis loco, quæ ego circa Dæmoniacos vidi, subnectam. Cum adolescens, studiorum caussa, in Casertæ Collegio prope Neapolim essem: ejus Collegii Rector, Reverendus Carolus Pellegrini, sæpe Energumenos exorciza-

cizabat. Frater meus, qui illius Dioecesis Episcopi Vicarius generalis erat, exorcismis aliquando intererat; nunquam vero certam occasionem credendi habuit, exorcizatos revera Diabolo obsessos fuisse; qua de causa Rectorem admonebat, ne ita facile falsis Dæmoniacis auscultaret. Accidit interea, ut Rector Fratrem meum invitaret, ad villicum Satana obsessum audiendum, qui alphabeti quamquam ignarus, latine loquebatur. Accedo cum Fratre ad S. Januarii, Collegio adnexam Ecclesiam, ubi & alii Sacerdotes, Convictoresque, nobiscum aderant, præstigia miraturi. Ezorcizat Rector; villicus vero vel penitus silet, vel incongrua respondit. Iteratis præce-

ptis, latinis verbis negat obedire. Frater tunc meus in suspicionem aliquam veniens, Rustico, latine loquendo, jubet, ut Evangelium quod in festo Divi Michaelis occurrit, in Missali reperiat. Recusavit objurgans, variaque *latine* respondit, antequam obediret. Tandem vero, non sine maxima adstantium omnium admiratione, paginam in clauso Libro indicavit, ubi Evangelium adamussim repertum est. Quisnam autem Diabolum hic adfuisse negabit? De Ecclesiæ in eum potestate quis dubitabit?

Ordine nunc sequitur ut indicemus, quomodo se gerere debeant Sacri Exorcistæ, antequam de obsessis judicium proferant;

faci-

facile enim evenire poteſt, ut verum illud comperiatur, quod a Sapientiſſimo Pontifice Benedicto XIV. ſcriptum fuit in aureo opere: *De Serv. Dei Beatificat. Lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 29. *n.* 5. „ veriſimile „ eſſe plurimos eorum, qui Dæ„ monis opinione ad Exorciſtas „ deferuntur, Dæmonem non „ habere, ſed morbis aliquibus „ teneri, & præ inopia conſilii, „ cum tentatæ ſint aliæ curatio„ nes antea, nec ſufficiant, de„ ferri ad illos. „ Et quidem alii circa hæc nimis credunt, alii nihil; utroſque hinc graviter errare ſentiendum, uti confirmat doctiſſimus Le Brun *in Tom. I. Hiſt. crit. de pratiq. ſuperſt. cap.* 3. his verbis: „ On peut diviſer la „ plûpart des Hommes en deux

claſ-

„ claſſes. Les uns ſont portez a
„ croire ſans preuve tout ce qu'
„ on leur dit d'extraordinaire;
„ les autres s'obſtinent à le re-
„ jetter, malgré tous les teſti-
„ moignages qu'on leur appor-
„ te. Voilà les deux ſources des
„ erreurs des Hommes, par rap-
„ port à l'eſiſtence des effets ſur-
„ prenans, & voilà auſſi les deux
„ écueils, que nous devons evi-
„ ter, pour parvenir au diſcer-
„ nement que nous cherchons „.
Ne autem in ſcopulos iſtos Sacri Miniſtri incidant, neceſſe erit ut naturam ipſam, ejuſdemque potentiam & actiones intelligant, quæ in ſtatu hominis ſano ac morboſo, multiplici de cauſa interdum ludere ſolet. Docti ergo Medici conſilio indigebunt: non

enim ſufficere poterit ut artem e libris ediſcant, vel naturalem philoſophiam calleant, ut opinatur Baruffaldus *in Comment. ad Rit. Rom. tit.* 90. *n.* 22., & P. Candidus Brognolus *in Manual. Exorciſtar. part.* 1. *cap.* 2. *art.* 4. *q.* 3. §. 2., ſed ægritudinum naturalium cauſas agnoſcant oportebit, qui difficillimis iſtis in rebus, æquum debent judicium proferre.

Signa quamplurima quæ falſos Dæmoniacos diſcernere docent, in V. ac XV. Tomo Rationis medendi occurrunt clariſs. De Haen, Cæſarei Conſiliarii & Archiatri, integerrimi, doctiſſimique Viri, cujus amicitia, pluribus ab hinc annis, immeritus fruor. Sicuti vero opera

isthæc, septendecim usque adhuc in tomos distributa, de medicis potissimum rebus agunt, gestaque continent, quæ Augustissimæ Imperatricis jussu, in Viennensi Nosocomio quotidie adnotantur; minime ideo expediret Sacri Evangelii Ministris tot libros coemere. Ad eorum ergo instructionem quidquid Auctor circa Dæmoniacos inibi habet, e re erit exponere.

Nulla re turpius decipimur, inquit celeberrimus De Haen, quam epilepsia & convulsione fictis. Vix morbus datur, quem & frequentius, & artificiosius simulare Mendici norint, ut transeuntium animos in commiserationem commoveant. Pueri, ac Puellæ, hanc vafram fingendi

ar-

artem a ſe mutuo diſcunt, ne vapulentur, vel ut mollius tractentur, vel ut nihil cogantur addiſcere. Matura Virgo forte audivit a garrientibus inter ſe Matronis, epilepſiam matrimonio nonnunquam curari; ergo eam artificioſe fingere diſcit, quo cogat Parentes ſe viro jungere. Monachus quo a choro, a jejuniis, aliaque monaſticæ vitæ aſperitate ſe vindicet, ſe fingit convulſum. Tandem etiam in ſcenam Diabolus adducitur, quo intentione varia, obſeſſos ſe fingunt. En aliquot exempla.

Adducebatur ad clariſſ. De Haen Puella, gravi auditu laborans, quo reſtituto, convulſiones ſuboriebantur, quas hoc ordine contingere, Mater narrabat. In-

cipiebat tremere Puella, angi, anhelare, clamare, brachia totumque corpus agitare, pollices fortiter intra pugnos firmare, vociferari, cantare, ore tandem producere ſpumam. Principio bis, ter, quavis die id contigiſſe affirmabat: jam autem quavis fere hora. Puellam in Noſocomio ſervari juſſit D. De Haen, commodo ſuo morbum examinaturus. Vidit illam eadem die in lecto decumbentem, convulſam, pollices adeo fortiter intra pugnos firmantem, ut maxima vi ſolvere, vix valeret. Oculos horrende agitabat. Dolum autem ſubeſſe ſuſpicabatur. 1°. Quod oculi durante paroxiſmo, non connivendo, ſed ſano prorſus modo aperirentur. 2°. Quod pul-

ſus

ſus fere naturalis eſſet. 3°. quod cortinis lecti clauſis, pupilla dilataretur; viciſſimque apertis, contraheretur. 4°. Quod pupillæ admota candela, vividiſſime ſe contraherent, & Puella quaſi nocumentum inde percipiens, caput rotaret. E lecto igitur ſtatim eximi juſſit D. De Haen; cum vero ſe cadentem fingeret, Cuſtos ægrorum, minis intentatis, erectam ſervavit, baculo quaſi vibrante, munitus. Convicta demum Puella fatebatur, & ſurditatem olim, & nunc epilepſiam finxiſſe, ne cogeretur munus ancillare obire, cui eam Mater deſtinaverat.

Aſtutior Adoleſcens, vafritie ſua clariſs. Auctorem pluribus diebus illuſit. Mirifice con-

vellebatur toto abdomine, vehementerque ſingultiebat. Detentus aliquot diebus in Noſocomio, congruiſque remediis ſanatus, Parentibus redditur. Vix vero ad domum reverſus, repetunt paroxiſmi, & a Matre in Noſocomium reducitur. Fucum ſuſpicatus Archiater, privato eum cubiculo includi jubet, ubi ſe ſolum credens, tranquille ſedebat, adſtantibus vero per rimam intuentibus, & intrantibus, in convulſiones, ſingultuſque relabebatur, illis egreſſis, iterum ſedatus. Veritatem denique fateri coactus, ideo hæc ſimulaſſe confeſſus eſt, ut a Magiſtro, apud quem carpentariam artem diſcere cogebatur, dimitteretur, ædibuſque reciperetur paternis.

Plures fœminas quas a Diabolo obſeſſas vulgus non modo, ſed Sacerdotes jurabant, Auguſtiſſima Imperatrix ad Noſocomium deferri juſſerat examinandas. Examinavit ill. De Haen, eo munitus principio, quod homines a Dæmonibus revera obſidentur, ut invictis argumentis ex novi Teſtamenti Libris, ex Eccleſiaſtica, & Sanctorum Patrum doctrina, indubitatiſſimum eſt; ſed ſimul pro comperto habens, quod ſæculis recentioribus, præſertimque corruptiſſimo noſtro, millenæ fingantur fallaciæ, quas utinam ſimpliciores Exorciſtæ haud ita foverent! Ut autem hujuſmodi fraudes detegeret clariſs. Vir, ægrarum cuſtodes, magna aquæ amphora muni-

nitos, circum Energumenas ita disponebat, ut mox, dum audito Dei vel Sanctorum nomine, fictus Diabolus corpora pro more agitaret, integram amphoram, unico ictu in faciem pectusque profunderent, idque ita, ut si ad primam profusam insultus non cessaret, suam ordine omnes evacuarent. Sed cum intelligerent convulsiones hanc sortem habituras esse, integre sanæ apparuerunt Dæmoniacæ.

Nemo, confidit cl. Auctor, in eum indignabitur, quod rude experimentum tentaverit. Aliis etenim argumentis plane convictus erat de nefanda fraude. Ad exhibitam v. g. Sanctæ Crucis imaginem, aliasque res sacras, convulsiones excitabantur: involu-

lu-

lutis vero iisdem, ut quid essent non adpareret, nullo modo furebat Diabolus. Idipsum contingebat si vel aqua lustrali, vel communi, corpora aspergerentur. Nisi ergo ad hominum dolos & vafritiam, Medici se cautos prestent, & artem & seipsos ludibrio exponent. Haud ita pridem (prosequitur clariss. De Haen) Fœmina aderat, quam ipse Confessarius tanta religione pollere, tanto eminere pietatis exercitio, asserebat, ut si Sancti in hac tellure haberentur, hæc saltem sancta habenda foret. Anxietatibus, & plane singularibus faciei convulsionibus, viciniam totam in commiserationem ducebat. Illa ergo in Nosocomium recepta fuit, & bona fide aliquantisper dece-

ptus

ptus Dominus De Haen, tandem attentior in rem, pulſum detexit & ante inſultum, & ſub inſultu, poſtque illum, ſemper optimum eſſe. De proſtrato prorſus appetitu ægra conquerebatur, ſuam vero cibi portionem avide abliguribat. Doli & hypocriſeos ſuæ per aquam convicta, convulſiones non redierunt.

Elapſo nuper anno 1773. Sutor viam diu quæſitam invenit, libellum ſupplicem in Auguſtiſſimæ Imperatricis ac Reginæ manus tradendi, quo Ejus erga ſe (quem & pauperies, & obſeſſa a Dæmone uxor dire premerent) miſericordiam excitaret. His intellectis, Auguſtæ nota ſingulis ſagacitas, verique amor, eo Ejus animum impulerunt, ut juberet

hanc fœminam Linzio Viennam transferri, & in Nosocomio examinandam sisti. Nosocomium ergo inferebatur die quinta Junii. Tribus quatuorve horis cum illa occupatus D. De Haen, testis loquitur autoptes. Mox illata in Nosocomium maledixit benignissimo Servatori, Augustissimæ Imperatrici, iisque, qui eam Viennam duxerant. Reposita in lectum, horrende se contorquere cœpit, oculos in omnem partem rotare, ut plerumque nihil, nisi eorum album, sed perpetuo motum, convulsumque, adpareret. Omnes faciei musculi convellebantur. Collum novit ita in humeros, & præcipue in dorsum flectere, ut mirum videretur. Interea vociferabatur, cantilenas

canebat aut germanicas, aut incondito ſermone, quaſi exoticam linguam æmulari conata. Ad hæc cepit corpus in ſemicirculum agere, caput ac pedes lecto figens, ventrem in altum extollere: mox extendere ſeſe, & altitudine aut pedis, aut ſeſquipedis, totum corpus in ſublime conjicere; idque haud minus celeriter, quam frequenter: forte vigeſies, trigeſies, & ſæpius ſine interpoſita quiete; poſt momentum quietis, idem repetivit, moxque demum imprecationes in Deum, in Auguſtiſſimam, in Maritum, & hoc modo ultra horam continuavit. Interea temporis & Roſarium, & Sanctam Crucem in manu habens, ter in terram indignabunda projecit, terque redditam, oſcu-

lata & amplexa eſt, imo veniam a Deo rogavit, moxque iterum maledixit, monens adſtantes, mox iterum in ſe Diabolum loqui. Has & alias geſticulationes edidit, pulſu ac reſpiratione ſemper poſt agitationes, naturalibus. In prandio ac cœna comedit bene, quamvis a Diabolo deglutitionem ſibi impediri diceret. Ab opii grano, ſex horis tam bene dormivit, ut ronchus audiretur. Expergefacta, Roſarium aliaſque preces, flexis genubus recitat. His abſolutis, paroxyſmum repetit, maledicit Deo, veniamque ab illo petit &c. Fuci gnarus clariſſ. De Haen, aqua experimentum fieri jubet, Dæmonem fugat, & quæ quindecim annorum ſpatio mulier a diabolico

insultu libera non fuit, jam ab hora nona matutina diem hanc, & alteram, & tertiam transegit tranquille, rationabiliter, devote. Familiariter, blandeque cum illa confabulatus, conatus est eam convincere quod non esset a Diabolo obsessa, nam per auxilia aquæ, malum cessavit, quod si a Diabolo natum esset, minime cessaturum fuisset: hæc cum ægre admitteret, post mediam noctem malo suo leviter affici cœpit: audiens vero curam aquæ repetendam mox fore, tranquilla ad horam sextam fuit: tunc vero gesticulationes iteravit, ex lecto prosiliit, capiti innixa in pavimentum, totum corpus in anteriora, ut pueri solent, projecit, lateraliterque se per cubiculum

cir-

circumvolvit &c. Blando a cl. De Haen ſermone, in ſerium, minantemque verſo, compoſuit ſe, biduoque exinde, nihil ultra contra decus, contra rationem, contra bonos mores geſſit. Rerum actarum gnara Auguſtiſſima Imperatrix, ne conſuetæ D. De Haen ægrorum demonſtrationes in Noſocomio turbarentur, mulierem ad illud D. Marci duci juſſit, in quo recuſavit primo ſuæ vafritiei rationem, cauſamque fateri; tenuiſſimo tandem victu coacta, confeſſa eſt ſe obſeſſam ſimulaſſe, tum ut Maritum vexare continuo poſſet, tum ut ſibi eleemoſynas corraderet: artificium autem hoc a Militis uxore ſe didiciſſe.

Tametſi vero aquæ experimento fucus in deſcriptis falſis energumenis detectus fuerit: hiſtoriam tamen narrat idem clariſſ. De Haen. *Rat. med. Tom. V. cap.* 4. ſceleſtiſſimæ fœminæ, quæ in carcerem conjecta, quod vetulam occidiſſet, epilepſia laborare ſimulavit, & a Chirurgo veritatem exploraturo, inuri ſibi manus tranquille toleravit, itaut nemo de falſa epilepſia dubitaret. Illa tamen a Præſide, Decano, aliiſque Medicæ Facultatis Profeſſoribus, ſupremo juſſu examinata, ſimulaſſe ſemper aſſeruit, facilique animo ignem pertuliſſe, cujus tres fædas cicatrices in manibus oſtendebat.

Omnium vero inſtar, notatu digna videtur ſingularis hiſtoria,

ex

ex duobus celeberrimis Scriptoribus excerpta, Thuano, *Tom. V. ad annum* 1599. *pag.* 869. & Mezeræo. *Tom. III. pag.* 1224. *edit. Parif. anni* 1685.

Jacobus Broſſerius pannificii ſui, ruſticique laboris pertæſus, circulatoriam vitam prætulit, atque cum tribus filiabus, quarum Martha a Dæmone obſeſſa dicebatur, vagabunde varias Urbes adivit, ut ſuam cum filia Martha, comædiam luderet. Cum vere obſeſſam eam crederent Sacerdotes, exorcizarunt quidem Dæmonem, ſed illa exorciſmos omnes eluſit. Cum vero ab Aureliæ Eccleſia fraus detecta foret, aliorſum aberrandum erat; Andegavum ergo petit, cujus Urbis Antiſtes Carolus Miro, ficta ne an

ve-

vera res eſſet, variis modis explorare tentavit. Aqua benedicta Diabolus ferocire viſus eſt, aqua communi minime: permutata (Martha inſcia) aqua, ad communem fremuit, ad ſacram minime. Exorciſmorum librum afferri, jubente alta voce Epiſcopo, dum clam profanum quemdam tradi ſibi curaſſet, afferuntur Virgilii Æneidas: Magno tunc apparatu, veluti exorcizaturus, legit: *Arma virumque cano &c.*, & mox immanes, & horrendas convulſiones Martha finxit. Patrem hinc & Filiam vehementer reprehendit Prælatus, & domicilium antiquum, laboremque repetere juſſit. Cum vero ſalutare iſtud conſilium ſceleſtiſſimis his hominibus diſpli-

ceret, Parisiis, urbe populosissima, se majorem fidem habituros arbitrati, mox illuc appulerunt, & ad S. Genovevæ Templum, primam scenam luserunt, eaque cum arte, ut plebs, & potissimum Rev. Patres Capucini, quos inter Pater Seraphinus eminebat, Martham a Diabolo indubitato obsessam asseverarent. At vero Eminentissimus Cardinalis Gondius, Parisinorum Episcopus, fœminam quinque celebrioribus Medicis examinandam tradidit: Michaeli Marescotto, Nicolao Ellanio, Joanni Altino, Joanni Riolano, & Ludovico Dureto. Cum neque latine, neque græce interrogata, quidquam intelligeret, sed gallice tan-

tum; reſponderunt Medici nihil a Spiritu, multa ficta, pauca a morbo eſſe.

Poſtridie Duretus cum Ellanio, infixa inter pollicem & indicem acu, an ſenſu doloris Martha tangeretur, tentare voluerunt: cumque ad ictum vafra mulier non tremiſceret, petunt illi Collegas advocari, & in craſtinum rem differri. Kalendis igitur Aprilis, magna omnium expectatione, a Patre Seraphino exorciſmi repetuntur; ad quos Martha oculos rotans, lingua exſerta, & contortis membris ac toto corpore, exhorreſcebat: tum ad hæc verba: *& Homo factus eſt*, ſupina deſultura, veluti exoſſato corpore fluctuans, ab altari ad valvas

ſa-

ſacelli erepſit: qua re perculſis adſtantibus, Pater Seraphinus commotior exclamavit: *Si quis ſit adhuc incredulus, hic Spiritum intus agentem ſiſtat, & vitæ periculo cum eo luctetur!* Heic Mareſcottus nihil niſi fictum videns, & impoſturam non ferens; *ego*, inquit, *periculum in me recipiam: Spiritus ſi poteſt, me validiorem ferat*. Quibus dictis, ſtatim contra obluctanti, manus in cervicem iniicit, eamque conſiſtere jubet. Martha ubi ſe captam vidit, cum ſe amplius commovere non poſſet, ut impoſturam tegeret, Diabolum abiiſſe, ſeque reliquiſſe, reſpondit.

Multo dein ſermone, Thuanus refert, agitatum negotium, & inter hos Medicos fuiſſe, &

tum; reſponderunt Medici nihil a Spiritu, multa ficta, pauca a morbo eſſe.

Poſtridie Duretus cum Ellanio, infixa inter pollicem & indicem acu, an ſenſu doloris Martha tangeretur, tentare voluerunt: cumque ad ictum vafra mulier non tremiſceret, petunt illi Collegas advocari, & in craſtinum rem differri. Kalendis igitur Aprilis, magna omnium expectatione, a Patre Seraphino exorciſmi repetuntur; ad quos Martha oculos rotans, lingua exſerta, & contortis membris ac toto corpore, exhorreſcebat: tum ad hæc verba: & *Homo factus eſt*, ſupina deſultura, veluti exoſſato corpore fluctuans, ab altari ad valvas

ſacelli erepſit: qua re perculſis adſtantibus, Pater Seraphinus commotior exclamavit: *Si quis ſit adhuc incredulus, hic Spiritum intus agentem ſiſtat, & vitæ periculo cum eo luctetur!* Heic Mareſcottus nihil niſi fictum videns, & impoſturam non ferens; *ego*, inquit, *periculum in me recipiam: Spiritus ſi poteſt, me validiorem ferat*. Quibus dictis, ſtatim contra obluctanti, manus in cervicem iniicit, eamque conſiſtere jubet. Martha ubi ſe captam vidit, cum ſe amplius commovere non poſſet, ut impoſturam tegeret, Diabolum abiiſſe, ſeque reliquiſſe, reſpondit.

Multo dein ſermone, Thuanus refert, agitatum negotium, & inter hos Medicos fuiſſe, &

inter quinque alios, qui prioribus suffecti erant; præcipue quia contrario experimento Martha nunc quibusdam visa erat anglice ac latine loqui; quos tamen omnes refutabat egregie Marescottus. *Vid. pag.* 869. 870. 871.

Interim Henricus IV. metuens ne forte hæc præstigiatrix adhiberetur, ad tumultus contra recens Nannetense edictum concitandos, rem supremo Parisiensi Senatui dijudicandam tradidit. Exacte Martham esse quadraginta dierum spatio observandam, Senatus edixit, serioque a præcipuis Urbis Medicis examinari. Hi vero *nihil præternaturale subesse* testati sunt. Hinc Senatus, tumultum metuens, eoque propiorem,

quo-

quo Templorum ſuggeſta de violatis Eccleſiæ privilegiis, Hæreticorumque prædominante conſilio, fortius reſonarent; hanc errabundam familiam ſuum in domicilium remiſit, Patri pœna corporali indicta, ſi Martham egredi domo, citra loci Judicis veniam, ſineret.

At vero necdum finita res fuit. Vir nobiliſſimus ac reverendiſſimus Alexander Rupi Fulcaudius, Sancti Martini Abbas, frater Cardinalis hujus nominis Claromontii Epiſcopi, forte a Fratre inſtigatus, Martham Avenionem primo, deinde Romam duxit, ſpe fore, ut authoritate Patrum Societatis, hæc fœmina, contra Gallorum Epiſcoporum, & præ-

cipue

cipue contra ſæcularis poteſtatis ſententiam, vere Dæmoniaca pronunciaretur. At vero & res Societatis poſtulavit, ne huic negotio ſe immiſceret, quo facilius Rex, qui eam de Gallia pulſaverat, ad ejus reditum commoveretur. Summus vero Pontifex Clemens VIII., totius impoſturæ jam gnarus, omne tentamen ſuppreſſit. Miſerandus autem Abbas, toto negotio exploſo, ludibrio habitus, veniam a Rege petiit, non obtinuit, brevique mœrore confectus interiit. Martha, ejuſque Pater, miſere poſtmodum vixere, ac periere.

Ex dictis colligendum, certiora Dæmoniacæ obſeſſionis ſigna nos habere. 1°. Si peregri-

nis linguis ignarus homo varia loquatur, & interroganti reſpondeat. 2°. Si abſcondita, vel etiam quæ in remotis locis acciderunt, revelet. 3°. Si ſecretis Sacrorum Miniſtrorum Exorciſmis obediat. 4°. Si magna, inſueta, horribilis vox, e pauxillis pueri organis, ut clar. Van-Swietenus obſervavit, prodeat. 5°. Si morboſa præternaturalia ſymptomata in corporibus adpareant, v. g. cerebri vitulini, ut Hoffmannus retulit, copioſa excretio: cultrorum, clavorum, lignorum &c. incongruæ molis, in ventriculo aut alibi exiſtentium, per vomitum, aut per anum ejectio: repentinus, & magnus in aliqua corporis parte ite-

ratus tumor, ſubitaque pariter iterata detumeſcentia &c. Quæ quidem indicia, vel hujuſmodi alia, ſi diligenter a ſacro Exorciſta, & cum opus fuerit, a perito etiam Medico, ſcrutentur; Catholicæ Eccleſiæ, Sacrorumque Miniſtrorum decus, perpetuo ſervabitur.

F I N I S.

CELEBERRIMI VIRI

ANTONII DE HAEN

SACRÆ, CÆSAR. REG. APOSTOL. MAJEST. CONSILIAR., ET ARCHIAT. MEDIC. IN VIENNEN. UNIVERSIT. PROFESS. PRIMAR. &c.

EPISTOLA AD AUCTOREM.

VIRO CLARISSIMO, AMICISSIMO

D. JOSEPHO BENVENUTI

S. P. D.

ANTONIUS DE HAEN.

Mitto Tomum II. Rationis medendi continuatæ, cujus Pars I. de Variolis est, quam germanice verti, ut infima plebs, aut Medicum ad variolas vocare non solita, aut indoctum nacta, bonam per se noscat methodum agendi: qua ipsa de causa AUGUSTA, vera Populi sui Mater, quingenta exemplaria curavit distribui per omnes Vicos, & Pagos Austriæ.

In Tomo XV. vidisti quid censeam, quidque agam cum Dæmoniacis; in hoc de

tem confutarem. Verbis ibi præcipue tuis, modum Sacris Exorcistis indicavi, quo ab Impostoribus cavere queant. Tabido quo vivimus sæculo, Pseudophilosophi abundant, qui dum insipiunt, sapientes se credunt. Indubias contra istos auctoritates attulisti, ac novemdecim objectionibus talia dedisti responsa, ut nisi futilibus verbis, Tibi se opponere quisquam possit. Rem totam plenissime enucleasti, absque eo quod nimis Te credulum præbeas: quin Magos, ac Sagas rarissime occurrere: maxima hinc cautione de istis judicandum esse, sapienter monuisti: quod exemplo confirmas: cum enim AUGUSTA IMPERATRIX *anno* 1758. *tres Fœminas pro Sagis habitas, rogoque destinatas, ex Croatiæ Regno Viennam transferri jussisset, ut tuam, & Illust. Van-Swieten opinionem audiret: criminis eas expertes declarando, a mortis limine revocastis.*

Dissertationem meam de Dæmoniacis, una cum aliis a me editis Opusculis, brevi ad Te mittam. Vale diu felix, doctissime De Haen, meque ut soles ama.

Scribeb. Lucæ VI. Kal. Octob. 1775.

(2)

PHILIPPI MARIÆ RENAZZI


ADVOCATI ET ANTECESSORIS ROMANI

DE SORTILEGIO ET MAGIA

LIBER SINGULARIS.

Haruspices Sagasque, quæ utraque genera vana superstitione rudes animos ad flagitia compellunt, ne admiseris.


Columellæ de re rust. Lib. I. Cap. VIII.



VENETIIS

ANNO MDCCLXXXXII.

Excudebant Fratres Coletii.



TYPOGRAPHUS
LECTORI S.

Cum nuper Libri hujus Exemplar Mſ., quod in cuiuſdam docti Viri manus forte pervenerat, mihi legendi exſcribendique copia facta fuerit, ſtatim conſilium cœpi illud typis meis evulgandi, non ſolum Clariſſimi Auctoris celebritate motus, ſed etiam illectus natura argumenti, cujus nova, brevis, dilucida ac ſolida tractatio ad improba Callioſtri aliorumque huic ſimilium Nebulonum detegenda præſtigia, atque ad præjudicatas plurimorum hominum evellendas opiniones noſtra hac etiam ætate quam maxime opportuna eſſe videtur. Id porro mea procul dubio Te monere, tua fortaſſe ſcire Lector intererat. Vale.

PRÆFATIO.

Est gravis illa sane, perdifficilis, ac periculi plena tractatio, quæ de Sortilegio & Magia suscipitur. Etenim haud ullæ ferme res sunt, circa quas tot tamque discrepantes in vulgus proditæ atque ad nostram usque ætatem propagatæ sint hominum opiniones, & de quibus Scriptores fusius omni ævo disputaverint, vehementiusque dissenserint. Quod si quis consuluerit quæcumque de Sortilegio & Magia in utramque partem disceptata scriptaque sunt a viris non solum leviter eruditis, sed etiam gravissimis atque doctissimis: ille profecto ex longa molestaque navata opera aut nihil, aut parum adeo proficiet, ut iis jure ac merito cum Comico (1) *objicere possit:*

Fecistis probe,
Incertior sum multo, quam dudum.

Ac in tanta quidem discrepantia opinionum Scriptorumque dissensione, quid nobis de Sortilegio & Magia hoc singulari libro disserere instituentibus reliquum esse videtur, quam ut quod ab aliis fuse obscureque pertractatum est, id breviter atque dilucide exponamus, & nostro more nullius addicti jurare in verba Magistri scopulos omnes solertissime declinemus, in quos incidere ut plurimum solent quicumque

(1) Terent. Phorm. II. 4. v. 18.

que de hujusmodi argumentis sive loqui sive commentari adgrediuntur. Quæ quidem omnia an bene feliciterque præstiterimus, æqui doctique Lectores, quibus diuturni nostri maximique in criminali jurisprudentia expurganda, perpolienda, atque enucleanda impensi labores, Studiosis fructuosi, Reique publicæ non inutiles visi sunt, dijudicabunt.



LIBRI CONSPECTUS.

DE

DE
SORTILEGIO, ET MAGIA
LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

Sortilegii etymon, atque definitio.

SOrtilegium, a quo nostra hac lucubratione differendi exordium nos ducere oportet, nomen est, quod a legendis sortibus venit. Ac Scriptores quidem rerum Criminalium eo sub nomine non solum divinationem, quæ per sortes fit, designarunt, ut illius nominis fert etymologia; sed etiam omne genus superstitionis, artiumque magicarum complexi sunt (1). Hinc Sortilegium sic late acceptum (2) in divinatorium distinxerunt, in amato-

(1) V. Ursay. *Lib. III. Inst. Crim. hoc tit.*

(2) Sortilegii nomine Plinius hoc quoque sensu usus est *Hist. Natural. lib. 28. cap. 4.* quod inscribitur, *De quibusdam Sortilegiis, & saliva hominis.*

☞ Quæ semper initio nostrorum omnium Operum, quæ typis edita a nobis sunt, Lectores monuimus; eadem hic quoque eos monitos volumus, scilicet

I. Auctorum, qui interdicti sunt, eas solum nos, ut quisque legendo cognoscere poterit, in usum nostrum derivare doctrinas, quæ nulla sunt infectæ labe pravitatis: cæteras Religio-

torium, & denique in maleficum seu veneficum. Divinatorium Sortilegium illud esse tradunt, quo quis futuras res vaticinari contendit: Quo autem Sortilegio fœminæ, aliquando etiam mares in libidinosum amorem proclives fiunt; amatorium Sortilegium ab iis nuncupatur: Tandem juxta doctrinam eorumdem Scriptorum illud est maleficum Sortilegium seu veneficum, quod ad mala quævis morbosque tam hominibus, quam brutis animantibus, atque inanimis etiam rebus inferendos comparatur (1).

At nobis longe opportunius accidit Sortilegii nomen in nativa sua significatione accipere, atque adhibere ad significandas futurarum occultarumque, sive præsentium sive præteritarum rerum explorationes, quæ per sortes fiunt, & quascumque alias superstitiosas observationes. Vetustissimus porro est usus hujusmodi explorationum (2). Quem enim latet cupiditatem res aut cognoscendi futuras, aut ignotas sciendi adeo semper fixam hæsisse humanis pectoribus; ut quam non poterant suo ingenio homines illarum adsequi notitiam, hanc improbis vanisque artibus se adquirere posse contenderint. Primum inter eas locum obtinet Divinatio per sortes, de qua statim idcirco verba facienda sunt.

---

gioni, Sacerdotio, Imperio, bonis moribus adversas a nobis penitus improbari.

II. Libros vetitæ lectionis iis tantum a nobis citari, quibus legitima potestas inest eosdem legendi.

(1) V. Damohud. *Prax. Crim. cap. 61.*

(2) V. Grilland. *de Sortileg.* Bud. *de Ath. & Superst.*

C A-

CAPUT II.

Quid Sors naturalis, quid divina, & quando hac uti fas sit.

SOrs idem propemodum est, ut Tullii verbis utamur (1), quod micare, quod talos jacere, quod tesseras; quibus in rebus temeritas & casus, non ratio nec consilium valet: & ea quidem adhibetur vel ut pateat quid in dubia agendum quidve in ancipiti re vitandum, vel ut quid latens sive præteritum sive præsens aperiatur, quidve futurum sit innotescat. Hinc vulgo Sors dividitur in divisoriam, qua communium rerum partes æquantur, & munera inter pares ætate meritisque cives distribuuntur; in consultoriam, & in divinatoriam. Sed aptior Sortis in naturalem, divinam, & dæmoniacam seu superstitiosam divisio esse videtur (2).

Quid sit Sors naturalis facile intelligitur. Nam ea nihil est aliud, quam arbitrarium fortuiti eventus in quacumque condicta re experimentum. Profecto cum quid in ambiguis obscurisque rebus æquum sit homines, quorum acies ingenii angustis admodum limitibus circumscribitur, agnoscere & constituere nequeant; ideo necessitas eosdem coegit, ut illarum diremptionem definitionemque sorti committerent. Quare naturalis Sortis usus non solum apud omnes fere gentes ad ambiguas contentiones definiendas, ad mu-

(1) *Lib. II. de Divin.*
(2) V. P. le Brun. *Hist. des Pract. Superst. Liv.* 2. *ch.* 3. *n.* 5.

tem confutarem. Verbis ibi præcipue tuis, modum Sacris Exorcistis indicavi, quo ab Impostoribus cavere queant. Tabido quo vivimus sæculo, Pseudophilosophi abundant, qui dum insipiunt, sapientes se credunt. Indubias contra istos auctoritates attulisti, ac novemdecim objectionibus talia dedisti responsa, ut nisi futilibus verbis, Tibi se opponere quisquam possit. Rem totam plenissime enucleasti, absque eo quod nimis Te credulum præbeas: quin Magos, ac Sagas rarissime occurrere: maxima hinc cautione de istis judicandum esse, sapienter monuisti: quod exemplo confirmas: cum enim AUGUSTA IMPERATRIX *anno* 1758. *tres Fœminas pro Sagis habitas, rogoque destinatas, ex Croatiæ Regno Viennam transferri jussisset, ut tuam, & Illust. Van-Swieten opinionem audiret: criminis eas expertes declarando, a mortis limine revocastis.*

Dissertationem meam de Dæmoniacis, una cum aliis a me editis Opusculis, brevi ad Te mittam: Vale diu felix, doctissime De Haen, meque ut soles ama.


Scribeb. Lucæ VI. Kal. Octob. 1775.

2

PHILIPPI MARIÆ RENAZZI
ADVOCATI ET ANTECESSORIS ROMANI
DE
SORTILEGIO ET MAGIA
LIBER SINGULARIS.

Haruspices Sagasque, quæ utraque genera vana superstitione rudes animos ad flagitia compellunt, ne admiseris.

Columellæ de re rust. Lib. I. Cap. VIII.



VENETIIS

ANNO MDCCLXXXII.

Excudebant Fratres Coletii.

TYPOGRAPHUS
LECTORI S.

Cum nuper Libri bujus Exemplar Ms., quod in cuiusdam docti Viri manus forte pervenerat, mihi legendi exscribendique copia facta fuerit, statim consilium cœpi illud typis meis evulgandi, non solum Clarissimi Auctoris celebritate motus, sed etiam illectus natura argumenti, cujus nova, brevis, dilucida ac solida tractatio ad improba Calliostri aliorumque huic similium Nebulonum detegenda præstigia, atque ad præjudicatas plurimorum hominum evellendas opiniones nostra hac etiam ætate quam maxime opportuna esse videtur. Id porro mea procul dubio Te monere, tua fortasse scire Lector intererat. Vale.

PRÆFATIO.

Est gravis illa sane, perdifficilis, ac periculi plena tractatio, quae de Sortilegio & Magia suscipitur. Etenim haud ullae ferme res sunt, circa quas tot tamque discrepantes in vulgus proditae atque ad nostram usque aetatem propagatae sint hominum opiniones, & de quibus Scriptores fusius omni aevo disputaverint, vehementiusque dissenserint. Quod si quis consuluerit quaecumque de Sortilegio & Magia in utramque partem disceptata scriptaque sunt a viris non solum leviter eruditis, sed etiam gravissimis atque doctissimis: ille profecto ex longa molestaque navata opera aut nihil, aut parum adeo proficiet, ut iis jure ac merito cum Comico (1) *objicere possit:*

Fecistis probe,
Incertior sum multo, quam dudum.

Ac in tanta quidem discrepantia opinionum Scriptorumque dissensione, quid nobis de Sortilegio & Magia hoc singulari libro disserere instituentibus reliquum esse videtur, quam ut quod ab aliis fuse obscureque pertractatum est, id breviter atque dilucide exponamus, & nostro more nullius addicti jurare in verba Magistri scopulos omnes solertissime declinemus, in quos incidere ut plurimum solent quicum-

que

(1) Terent. Phorm. II. 4. v. 18.

que de hujusmodi argumentis sive loqui sive commentari adgrediuntur. Quæ quidem omnia an bene feliciterque præstiterimus, æqui doctique Lectores, quibus diuturni nostri maximique in criminali jurisprudentia expurganda, perpolienda, atque enucleanda impensi labores, Studiosis fructuosi, Reique publicæ non inutiles visi sunt, dijudicabunt.



LIBRI CONSPECTUS.

DE

DE
SORTILEGIO, ET MAGIA
LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

Sortilegii etymon, atque definitio.

SOrtilegium, a quo nostra hac lucubratione differendi exordium nos ducere oportet, nomen est, quod a legendis sortibus venit. Ac Scriptores quidem rerum Criminalium eo sub nomine non solum divinationem, quæ per sortes fit, designarunt, ut illius nominis fert etymologia; sed etiam omne genus superstitionis, artiumque magicarum complexi sunt (1). Hinc Sortilegium sic late acceptum (2) in divinatorium distinxerunt, in amato-

(1) V. Ursay. *Lib. III. Inst. Crim. hoc tit.*

(2) Sortilegii nomine Plinius hoc quoque sensu usus est *Hist. Natural. lib. 28. cap. 4.* quod inscribitur, *De quibusdam Sortilegiis, & saliva hominis.*

☞ Quæ semper initio nostrorum omnium Operum, quæ typis edita a nobis sunt, Lectores monuimus; eadem hic quoque eos monitos volumus, scilicet

I. Auctorum, qui interdicti sunt, eas solum nos, ut quisque legendo cognoscere poterit, in usum nostrum derivare doctrinas, quæ nulla sunt infectæ labe pravitatis: cæteras Religio-

torium, & denique in maleficum ſeu veneficum. Divinatorium Sortilegium illud eſſe tradunt, quo quis futuras res vaticinari contendit: Quo autem Sortilegio fœminæ, aliquando etiam mares in libidinoſum amorem proclives fiunt; amatorium Sortilegium ab iis nuncupatur: Tandem juxta doctrinam eorumdem Scriptorum illud eſt maleficum Sortilegium ſeu veneficum, quod ad mala quævis morboſque tam hominibus, quam brutis animantibus, atque inanimis etiam rebus inferendos comparatur (1).

At nobis longe opportunius accidit Sortilegii nomen in nativa ſua ſignificatione accipere, atque adhibere ad ſignificandas futurarum occultarumque, ſive præſentium ſive præteritarum rerum explorationes, quæ per ſortes fiunt, & quaſcumque alias ſuperſtitioſas obſervationes. Vetuſtiſſimus porro eſt uſus hujuſmodi explorationum (2). Quem enim latet cupiditatem res aut cognoſcendi futuras, aut ignotas ſciendi adeo ſemper fixam hæſiſſe humanis pectoribus; ut quam non poterant ſuo ingenio homines illarum adſequi notitiam, hanc improbis vaniſque artibus ſe adquirere poſſe contenderint. Primum inter eas locum obtinet Divinatio per ſortes, de qua ſtatim idcirco verba facienda ſunt.

---

gioni, Sacerdotio, Imperio, bonis moribus adverſas a nobis penitus improbari.

II. Libros vetitæ lectionis iis tantum a nobis citari, quibus legitima poteſtas ineſt eoſdem legendi.

(1) V. Damohud. *Prax. Crim. cap. 61.*

(2) V. Grilland. *de Sortileg.* Bud. *de Ath. & Superſt.*

CAPUT II.

Quid Sors naturalis, quid divina, & quando hac uti fas sit.

SOrs idem propemodum est, ut Tullii verbis utamur (1), quod micare, quod talos jacere, quod tesseras; quibus in rebus temeritas & casus, non ratio nec consilium valet: & ea quidem adhibetur vel ut pateat quid in dubia agendum quidve in ancipiti re vitandum, vel ut quid latens sive præteritum sive præsens aperiatur, quidve futurum sit innotescat. Hinc vulgo Sors dividitur in divisoriam, qua communium rerum partes æquantur, & munera inter pares ætate meritisque cives distribuuntur; in consultoriam, & in divinatoriam. Sed aptior Sortis in naturalem, divinam, & dæmoniacam seu superstitiosam divisio esse videtur (2).

Quid sit Sors naturalis facile intelligitur. Nam ea nihil est aliud, quam arbitrarium fortuiti eventus in quacumque condicta re experimentum. Profecto cum quid in ambiguis obscurisque rebus æquum sit homines, quorum acies ingenii angustis admodum limitibus circumscribitur, agnoscere & constituere nequeant; ideo necessitas eosdem coegit, ut illarum diremptionem definitionemque sorti committerent. Quare naturalis Sortis usus non solum apud omnes fere gentes ad ambiguas contentiones definiendas, ad mu-

(1) *Lib. II. de Divin.*
(2) V. P. le Brun. *Hist. des Pract. Superst. Liv. 2. ch. 3. n. 3.*

munia laboresque distribuendos, ad æquandam in ludis, & contractibus mutuam lucri spem jacturæque formidinem, denique ad incertum quemlibet martem dirimendum moribus invaluit usurpari; verum etiam pluribus dubiis in rebus adhibendus Civilibus, Canonicis, ipsisque Divinis Legibus præscribitur (1). Sed de hac sortis specie, quam summus rerum omnium Arbiter DEUS moderatur, quæque, si superstitione & fraude careat, omnis criminosæ labis expers est, hoc loco non quærimus (2).

Toties autem Sors dicenda erit divina, quoties per eam homines præteritarum vel præsentium rerum, quæ ignorantur, vel futurorum eventuum notitiam a Deo haurire contendunt; aut quid in ancipiti re eligendum faciendumque sit noscere præstolantur. Hac specie Sortis usi Gentiles, dum temere aperto Homeri aut Virgilii codice, qui versus primum in oculos incurrissent, eos in oraculi omen accipiebant. Qua ratione narrat Spartianus (3) Imperium sibi prænuntiasse Hadrianum. Christiani quoque antiquitus ex-

(1) Pleni sunt de usu hujusmodi sortium non solum apud antiquas, sed etiam recentiores Nationes Scriptorum libri, plenæ sæculorum memoriæ, plena exemplorum Vetustas. Consuli poterunt Homer. *Iliad. VIII.* Cæsar *De Bel. Gallic. Lib.* 1. Scriptores omnes *Hist. Rom.* &c. Hic solum referemus Virgilii versus, quibus describitur Dido construendæ Carthaginis munia suos inter Tyrios sorte tribuens *Æneid. Lib.* 1. *v.* 511. 512.

Jura dabat, legesque viris, operumque laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.

(2) Num. *cap.* 33. Paralip. *cap.* 6. *v.* 34. Cod. *Lib.* 6. *tit.* 43. *Leg.* 3. *Novel.* 162. *in fin.*

(3) *In vit.* Hadr. VII.

exemplo sortium Virgilianarum sortes quasdam adhibuerunt, quas Sanctorum vel Apostolorum vocabant. Arreptis enim sacris utriusque Testamenti Libris ex sententia, quæ casu prior legenda se offerret, vaticinia captabant. Sed quoniam sæpe ejusmodi sortitionibus superstitio aliqua admiscebatur, eas idcirco adhibere pluribus veterum Synodorum Canonibus interdictum est. Quippe Sortis divinæ usus tunc solum usurpari potest, quando quis divino spiritu afflatur, ut DEUM consulat, quemadmodum aliquibus vitæ sanctimonia eximiis viris evenisse constat (1). Atque eo casu Sors *non aliquid mali continet*, ut scribit D. Augustinus (2), *sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem*. Secus vero divinæ Sortis usus culpa non vacabit; nec qui eum usurpaverit canonicam animadversionem effugiet (3). Nefas enim est hominibus Dei voluntatem in rebus latentibus vel futuris perscrutari sortibus temere ductis, & præter necessitatem prodigia ab ipso audenter exposcere.

---

(1) Sic *Abraham*, *Josue*, *Gedeon*, *Samuel*, *Saul*, *Eliseus* reprehendi nequeunt, quod hujusmodi sorte aliquando usi sint. Divino quippe afflatu excitatos id peregisse liquet ex sacris litteris. Sic *Apostoli* temeritatis expertes fuerunt, cum cœlesti lumine illustrati sorte *Matthiam* in collegium suum cooptassent. *Act. cap. 1. V. Can. 14. qu. 5.*

(2) *Can. 1. Caus. 26. Quæst. 2.*

(3) *Cap. 1. De Sortileg.*

CAPUT III.

De Sorte dæmoniaca, seu superstitiosa.

POstrema Sortis species dæmoniaca seu superstitiosa vocatur, quæ fit vel fieri vulgo creditur, quando aut Dæmonis interpellato auxilio atque opera accita improbæ præstigiæ, aut vana religione superstitiosæ observationes ad arcanas futurasque res exquirendas atque divinandas adhibentur. Nihil quondam celebrius, nihil veteres inter Populos vulgatius dæmoniacis divinationibus, quas multiplici diversaque ratione proditas Historiarum monumentis perhibetur (1). Etenim narratur data aliquando petentibus dæmoniaca responsa ex imaginibus, id est emissa voce ex Idolorum statuis, ut Delphis ex Simulacro Apollinis; quæ responsa dicebantur oracula, quasi in eis Deorum inesset oratio. Sæpe dæmoniaca oracula memorantur reddita per Vates, qui theurgicis expiationibus Pythium, fatidicum nempe Spiritum sortiti a Pythia Apollinis Sacerdote Divinatorum Principe Pythones & Pythonissæ quoque nuncupatæ sunt (2). Nemo ignorat quænam fides olim habita somniis, quæ præternaturali vi dormientium in mentibus excitata rebantur ad futuras res prænunciandas; atque sic habita exceptaque præsagia appellabantur vaticinationes per somnia, quorum interpretandi, & quæ even-

(1) V. De Cauz. *de Cultib. magic. Lib. 1. cap. 5. §. 178.*
(2) Wier. *De præst. Dæm. Lib. II. cap. 14.*

eventura essent ex iis eruendi caussa mendax ars comparata Oneiromantia dicta est. Quid quod ex cranio hominis dæmoniacæ emissæ voces leguntur, quibus quæ eventura essent declararentur; idque veteres vaticinationem per cranium dixere. Quin immo & spectris seu vita jam functis hominibus in speciem inductis (1) dæmoniacas vaticinationes sciscitantibus redditas memoriæ proditum est (2). Tandem quæ forent agenda, quæque futura essent dæmoniaca opera fuisse pandita atque prænunciata signis figuris in terra, in aqua, in aere, in igne, in vitro, aliisque similibus rebus referuntur; unde natæ sunt superstitiosæ artes Geomantia, Hydromantia, Pyromantia (3), Catopromantia, quas omnes rerum criminalium Scriptores (4) inter species enumerant divinatorii Sortilegii. De Numa scriptum D. Augustinus reliquit,

 qui

(1) Notissima est historia, quæ habetur 1. *Reg.* 28. de *Samuele* a Pythonissa instante *Saule* excitato. Quod quomodo evenerit, & quemadmodum intelligendum sit, S. Scripturæ Interpretes inter se magnopere discrepant. Nam *Origenes Comment. in cit. loc.* censuit *Samuelem* reipsa Pythonissæ incantationibus fuisse e suis sedibus evocatum: *Tertullianus*, aliique plures *Samuelis* phantasma dæmoniaca opera Regis oculis obversatum fuisse contendunt. Plerique vero censent Dei providentia atque imperio *Samuelem* stetisse coram *Saule*; ut suam ei suorumque futuram cladem prænunciaret; alii alias interpretationes prodiderunt, de quibus late docteque agunt *Calmet in dissert. de vis. Saul.* & *Natal. Alexand. Hist. vet. Test. dissert.* 13. *prop.* uno

(2) Naud. *Apol. Vir. de mag. susp. cap.* 14.

(3) Ars divinandi per fulgura, de qua loquitur *Cicero Lib. II. de Leg. & Lib. II. de Divin.* spectasse videtur ad Pyromantiam, unde fulgurales Libri, quorum idem Auctor meminit. V. *Cl. Creman. de Jur. Crim. lib.* 1. *par.* 3. *cap.* 2. *not.* 1.

(4) V. Alph. *Jur. Crim. lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 1. *de Sortileg.* §. 95.

qui id fortasse ex vetere aliquo hausit Auctore, eum in aqua imagines Deorum seu Dæmonum ludificationes vidisse, a quibus audiebat quid in sacris constitui atque observari deberet (1).

Cæterum nemo unquam sapiens prudensque vir dæmoniacis divinationibus, quæ proditæ narrantur, ullam habendam esse fidem existimavit (2). Nam Dæmones, siquidem ingenii acie hominibus longissime præstant, naturales rerum caussas, earumque vim & effectus illis multo cumulatius absolutiusque cognoscunt: futuras vero res, quæ ex libero pendent hominum arbitrio, quarumque Deus ordinem ac eventum solus intuetur, ac suo nutu disponit, Dæmonas prorsus latere dubitandum non est (3). Hinc decepti quicumque dæmoniaca opera futuras res se scire posse autumaverint. Ac re quidem vera si oracula ad trutinam revocentur, quæ superstitiosa Antiquitas tantopere coluit atque celebravit; ea ita ambigua sunt, ut ad Dialecticam debeant referri, vel flexiloqua atque obscura, ut interpres egeat interprete, & sors ipsa ad sortem sit referenda. Quod si vatici-

na-

(1) *De Civit. Dei lib. 7. cap. 35.*

(2) Qui ingenii acumine, & sapientiæ laude inter veteres floruere, ii probe suboleverunt humanas fraudes, commenta, dolos, qui ad credulum vulgus decipiendum ut plurimum oraculis inerant. Qua de causa Tullius *lib. 2. de Divinat.* illorum auctoritatem convellere, atque contemnere aperte professus est. Porro hujusmodi fraudes dolosque sedulo persequutus est, atque eleganter expressit cultissimus Fontenellius *Histoir. des Oracl.* quod opus caute tamen legendum. V. *Le Clerc, Bibl. Chois. Tom. XIII.*

(3) *S. Thom. 2. 2.*

nationibus aliquando rerum eventus responderunt; partim id casu accidit, ut fit in omni oratione sæpissime; partim permissu Dei contigit, ut homines suæ superstitionis, curiosæque improbitatis puniret.

CAPUT IV.

Sequitur ejusdem argumenti tractatio.

AUguria primum tenent locum inter superstitiosas observationes vana religione jampridem ad futuros præsignificandos eventus adhibitas, quas nunc operæ pretium erit recensere. Captabantur auguria, ut Cicero scribit (1), ex volatu avium, cantu oscinum, ex tripudiis solstimis. Succedunt Haruspicia, quo nomine veniebant divinationes erutæ ab hostiæ vel viventis vel mactatæ extis, atque ex flamma fumoque ignis, quo victimæ consumebantur. Haruspicia excipit omen, quod ex hominum vocibus ac sternutamentis educebatur. Plures tandem per superstitiosas observationes confictæ artes memorantur, quæ diversis nominibus distinguebantur. Quæ ex lineis manuum præsagia colligit ars, Chiromantia dicta est; quæ ex oris configuratione, Metoscopia; Notomantia, quæ ex dorsi figura (2): Astrologiæ autem nomine venit ea ars, qua ex vario astrorum adspectu, ut ajunt, atque influxu, quæ circa hominum, præsertim recens natorum, vitam, casus fortunamque eventura sint, conijci posse contenditur. Nam quæ motus Syderum conside-

(1) Epist. Familiar. VI. 6.
(2) V. Thiers. *Trait. des Superst. Tom. 1.*

fiderat ac metitur insons, atque humanis usibus opportunissima ars, distinctionis ergo Astronomia solet appellari.

Longum est dicere quantum priscæ Gentes, ac veteres præsertim Romani (1) superstitiosas observationes coluerint, omnique generi fiderint divinationis; ut qui arduis præclarisque abs cœptis nec hostium metû nec facinorum difficultate abducerentur, eos vana quælibet puerilisque superstitio ac observatio a proposito dimoveret (2). Verum non defuere inter Quirites, qui præjudicatarum vulgi opinionum expertes omina atque auguria contemnerent, omnesque divinationes sapide irriderent. Julium Cæsarem religione a quoquam incœpto numquam absterritum vel retardatum fuisse Suetonius memoriæ prodidit (3). Re enim vera quomodo ex iis quæ temere fiunt casuque eveniunt, futuræ res intelligi, ac prænunciari poterunt? Nam si falluntur, ut gravissime Tullius animadvertit

(1) Nihil mirum esse debet, si homines veræ Religionis lumine nondum illustrati, tam creduli, tamque superstitiosis artibus addicti fuerint. Sed postquam divini splendoris radii toto terrarum orbe diffusi Idololatriæ tenebras erroresque depulerunt, mirabuntur, credo equidem, seri sapientioresque nepotes superiori ætate tot inventos esse, & nonnullos adhuc inter nos reperiri, qui Astrologiæ fidant, divinationes ex superstitiosis eruant observationibus, auguria metuant, atque omina capiant. Quis vero non vehementer indignabitur nunc non deesse, qui auri sacra fame perciti somnia observant, atque ex iis divinationes educunt, millenisque student futilibus & superstitiosis artibus; ut parta ludi (*Lotto*, vocant) omnium incertissimi, & difficillimi victoria congerant divitias, quas in mare *Sapiens* ille demersit, ne ab eis mergeretur.

Heu hominum ignaræ mentes, heu pectora cœca!

(2) V. *Histoir. Critiq. des erreurs popul. Amsterd.* 1733.

(3) In vit. Cæsar. LIX.

sit (1), qui nihil sine probabili aliqua conjectura ac ratione dicunt; quid existimandum est de conjectura eorum, qui extis, aut avibus, aut ostentis, aut oraculis, aut somniis futura præsentiunt? Hinc merito sapiens ille Cato apud eumdem Tullium mirari se ajebat, quod non rideret Haruspex Haruspicem cum videret. Nullam vero sydera inter astrorumque motus & conversiones, ac futuros humanos eventus conjunctionem intercedere intelliget quicumque sibi conscius est, se quæ mavult agendi libertate pollere, probeque scit omnes rerum vicissitudines regere, humanaque inflectere pectora Illum, qui astra & sydera, cunctasque a se creatas res supercilio movet. Necesse est ergo fateri multa popularibus erroribus propagata, multa superstitione ad continendos in officio homines vana formidine religionis invecta esse; ut olim contigit Romæ (2), ubi Plebs a Patriciis hisce artibus, quarum isti notitiam sibi usumque peculiariter addixerant, ludificata jugiter fuit.

CAPUT V.

Quibus variis nominibus designentur exercentes sortilegas artes; & quam grave eorum sit facinus.

QUi Sortilegio dant operam, Sortilegi, vel Divinatores generatim appellantur. At quemadmodum singulæ Sortilegii species hactenus enumeratæ (Cap. III. & IV.) diversis inter se nominibus

bus

(1) *De Divinat. Lib. II.*
(2) V. Heinec. *Synt. Antiq. I.* 3.

bus distinguuntur; ita etiam quicumque eas exercent peculiaria nomina acceperunt. Sortilegi quidem germana adhibita vocis significatione dicuntur, qui sortibus ductis futura audent credulis prænunciare; atque hoc pacto quæstum mentiendo faciunt (1): Augures vocati sunt, qui ex avium cantu ac volatu quid eventurum sit conjiciunt; Haruspices, qui exta hostiarum & fibras inspiciunt; Vates denique, qui se Deo plenos esse simulantes responsa dant. Ariolorum nomen, teste Turnebo (2), omnibus exta rimantibus, & per furorem vaticinantibus commune est: Somniorum conjectores sunt, qui somnia interpretantur; Astrologi, qui fata cujusque nosse profitentur, & natalitias syderum observationes edunt (3). Hi Jure Romano Mathematicorum quoque nomine designantur, quod præstantis ac utilissimæ disciplinæ nomine ad fallendum abuterentur (4). Sed quomodocumque hujusmodi sycophantæ appellentur, certum est eos omnes in sanctissimam, qua pure colendus est Deus, Christianam Religionem gravissime peccare.

Ac re quidem vera, ut opportune docet D. Thomas

(1) V. Matth. *ad Lib.* 48. *ff. tit.* 5. *cap.* 5.

(2) XIX. *Adversf.* 20.

(3) *Chaldæi* vulgo nuncupabantur Astrologi omnes, Genethliaci, astrorumque Speculatores, ut liquet ex *Leg.* 5. *Cod. de malefic. & mathemat.* quia illorum disciplina tradita primum apud Chaldæos, quæ gens Astrologiæ valde dedita fuit. Cic. 1. *de Divinat.* Hinc Chaldæus pro Astrologo dictus, ut Arabs pro latrone &c. V. *Gothofred. in not. ad cit. Leg.* " *Vulgus*, ut testatur Gellius *Noct. Attic. lib.* I. *cap.* 9., *quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos dicit.* „

(4) V. Gothofred. *ad tit.* 18. *Cod. Lib.* 9.

mas (1), multis modis Sortilegi peccant. Principio enim qui adhibitis Sortilegiis futuros eventus divinare contendunt, ii profecto frustra & irreverenter divinæ providentiæ secreta pulsant, atque præscientiam, qua solus pollet Deus, ad creatas humanasque res transferre videntur; quod sine impio scelere fieri vel excogitari non potest; præsertim si dæmoniacæ sortes ad divinandum adhibitæ sint. Tunc siquidem quæ singula sunt gravissima facinora Apostasia, Sacrilegium, improba curiositas, iis omnibus sese Sortilegi obstringunt. Quid? quod non alii fortasse frequentius, quam Sortilegi turbas in Republica ciere solent, & communem tranquillitatem labefactare. Nam, ut bene Tacitus observavit (2), qui sortilegas artes exercent, genus hominum est potentibus infidum, sperantibus fallax, quorum responsis leves animi ad novas spes facile impelluntur. Itaque tam prohibitum est impias hujusmodi artes docere, quam discere; tam exercere, quam exercentibus fidem præstare ac adhærere (3); atque in quoscumque Sortilegii criminis reos severissimæ constitutæ sunt pœnæ, quas mox tandem enumerabimus.

---

(1) 2. 2. *Quæst.* 95. *art.* 1.
(2) *Annal. Lib. II. Cap.* 32.
(3) *Cod. Lib.* 9. *tit.* 18. *Leg.* 8.

CAPUT VI.

Pœnæ recensentur sacris Canonibus Romanisque Legibus adversus Sortilegos, & Divinatores indictæ.

QUondam Jure Romano pœna capitali punitos, qui de salute Principis, vel summa Reipublicæ vaticinati essent, J. C. Paulus meminit (1); cæteros vero Divinatores inflicta prius fustium correctione civitate pulsos fuisse. Sed tandem Christianorum Imperatorum constitutionibus in Sortilegos omnes, Augures, Haruspices, Vates capitalis pœna indiscriminatim imposita habetur (2).

Jure autem Canonico Laici, qui sortilegas artes exercuerint, excommunicatione plectuntur; Clerici degradantur: & in excommunicationis quidem pœnam incurrunt qui nihil aliud egerint, quam Sortilegos Hariolosque consulere (3). Quod si a Clerico factum sit, detrudendus est in Monasterium ad perpetuam pœnitentiam agendam. Interpretes, rerumque criminalium Scriptores docent Sortilegium, quod hæresim, ut ajunt, manifestam contineat, pœnis coercendum esse, quæ manent hæresis crimen (4). De pœnis Astrologorum peculiares extant Constitutiones Romanorum Pontificum Xisti V. & Urbani VIII., quæ a memoratis Scriptoribus late exponuntur, & quibus cautum est de crimine Sortilegii posse Fidei

Quæ-

(1) *Sentent. V. tit.* 21.
(2) *Cod. lib.* 9. *tit.* 18. *Leg.* 5.
(3) *Cap.* 1. & 2. *de Sortil.* V. Thesaur. *de pœn. eccl. v. superst.*
(4) V. Farinac. *de hæres. quæst.* 181.

Quæsitores una cum Episcopis certatim judicia (1) exercere.

CAPUT VII.

Quid sit Magia, & quid sub ejus nomine veniat.

CÆterum Sortilegis ac Divinatoribus & affinitate & improbitate criminis ii pares, immo etiam superiores sunt qui Malefici Jure Romano nuncupantur (2), quosque Magos, si mares, si vero fœminæ, Lamias vel Striges vulgus appellat. Magi porro a Magia dicuntur, quam callere profitentur, & de qua tempus jam est, ut sermonem instituere adgrediamur. Magia persica vox est, quæ idem significat ac sapientiam atque doctrinam: unde ii quondam Magi vocabantur, quos primum Sapientes, postea modestiori nomine Græci & Romani Philosophos appellarunt (3).

(1) Sed utrum ad Judices solum Ecclesiasticos, an ad Laicos quoque pertineat cognitio Sortilegii, Doctores dissentiunt, ut observat Gagliard. *Instit. Canonic. Lib.* 4. *tit.* 15. §. 44. Quoniam vero hoc crimine & Religio læditur, & publica tranquillitas perturbatur, sic commode poterit omnis dissensio componi, ut Episcopi æque ac Magistratus Civiles de Sortilegio cognoscant; illi quidem ut Canonicis Censuris peccantes corripiant; hi autem, ut eisdem, tamquam publicis reis, corporeas pœnas infligant. V. Caravit. *Instit. Criminal. lib.* I. §. 3. *cap.* 28. §. 28. Van-Esp. *Jur. Eccles. part.* 3. *tit.* 4. *cap.* 3. Sed si res sit de ecclesiasticis personis, quæ hujusmodi facinoris insimulentur, illius cognitio Episcopis peculiariter reservata est Apostolicis Constitutionibus, quas refert Girald. *Exposit. Jur. Pontif. lib.* 5. *tit.* 21. quod & obtinet quando Sortilegium sit cum Hæresi, ut ajunt, conjunctum.

(2) *Cod. Lib.* 9. *tit.* 18. *Leg.* 5.

(3) V. Brucker. *Hist. crit. Phil.*

Duplex autem a Scriptoribus Magiæ genus distinguitur, naturalis altera, altera præternaturalis seu superstitiosa atque dæmoniaca. Illa circa naturam resque naturales, earum caussas, occultasque vires cognoscendas, ignotas vulgo eruendas qualitates, atque edendos effectus cuicumque haud facile obvios versatur (1); quam omni ævo, & apud politiores Gentes summi coluere Viri, quorum solertia ac labore Physicæ, ut vocant Experimentalis, studium atque usus & invectus, & in communes hominum utilitates summopere propagatus est (2). Magia autem præternaturalis, dæmoniaca, superstitiosa vanas maleficas impiasque artes complectitur, quibus nihil non mirum exitiale atque portentosum Dæmonum vi atque opera intercedente fieri non posse narratur. Atque colluvies Circulatorum & Sycophantarum, qui Magiam naturalem se excolere jactantes superstitiosam ac dæmoniacam profitebantur, atque perniciosas nefariasque artes exercebant, in caussa fuit, ut Magia generatim male in vulgus audiret, criminisque nomen demum (3) evaderet.

Quid porro sub Magiæ crimine venire debeat non admodum constat inter Scriptores, qui de illo tractarunt.

runt.

(1) Apposite, si quis alius, Magiam naturalem descripsit Campanella *de sens. rer. sive de natur. Mag. Lib. VI. cap. 6*, scribens: *Quidquid Sapientes faciunt imitando naturam, aut ipsam adjuvando per artem non modo plebi ignotam, sed communitati hominum; id magicum opus haberi: unde prius quam ars vulgetur, semper dici Magiam; arte vero manifestata scientiam esse vulgarem.*

(2) Boyl. *de util. Philosoph. Experim. cap. II.*

(3) Bohemer. *Elem. Jur. Crim. Sect. 2. cap. 4. §. 56.*

runt. Nam ab aliis hoc crimen ad plures diversasque species porrigitur; alii species contrahunt, quæ sub eo comprehendendæ sunt: multi Sortilegium quod maleficum & amatorium vocatur cum Magia confundunt: contra vero quibusdam placet istam ab illo distinguere. Tandem plerisque Magia est crimen illorum, qui commercium, ut ajunt, cum Dæmone habent: quod commercium fere omnes rerum criminalium Scriptores vel expresso vel tacito pacto iniri docent (1). Expressum cum Dæmone pactum eos contraxisse tradunt (2), qui Deo religioneque ejurata se totos Dæmonis potestati subjiciunt eique obsequium pollicentur; ut ipso opitulante quæ velint, mira, ardua, iniqua perficere valeant. Pactum vero cum Dæmone tacitum memorati censent Scriptores ab illis initum esse,

(1) Si fides eisdem adhibeatur Scriptoribus, quorum antesignani extiterunt Tritthem. *in Antipal. Malef.* & Martin. Del Rio *Disquis. Magic.* expressum cum Dæmone pactum in conventu Magorum (Sabbathum vocant) solemniter stipulatum, infernisque initiato mysteriis character quidam imprimitur veluti tessera dæmoniaci fœderis. Plura deinde hisce similia ipsi de hujusmodi pacto differentes comminiscuntur, quæ

Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

Enimvero non defuerunt, qui dæmoniaca ista fœdera atque pacta negaverint. Eminent potissimum inter Italos nostros eruditissimus March. Maffei: *Arte Magica dileguata:* Jan. Rinald. Carl. *Epist. de Orig. Mag.* §. 39. inter Germanos Speuf. *Cauth. Crim.* Thomas. *Dissert. de crim. Mag.* Bekker. aliique: inter Gallos D. d'Andrè *Epist. Mag. Epist.* 2. Sed illa adstruere & contra impugnatores præ cæteris asserere adgressi sunt P. le Brun. *Hist. Critiq. des superst. Tom. I. Liv.* 2. *chap.* 1. Scheuchz *Phys. sacr. tom.* 4. *pag.* 318. Preat. *Mag. dimost. artic.* 4. *& seq.* Hieronym. Tartarot. *Congresso notturno delle Lamie*, *Lettera al Carli*, &c.

(2) Carpzov. *prax. Crim. part.* 1. *quæst.* 48. *num.* 11. Berlin. *part.* 4. *concl.* 3. Alph. a Castr. *de imp. Sortil. hær. cap.* 2.

esse, qui licet commercii cum Dæmone expertes; ea tamen Sortilegia patrant, quæ probe sciunt non natura sua, sed dæmoniaca opera vi aliqua pollere. Sed consultius commodiusque mihi egisse videntur qui (1) hæc omnia conjunctim complectentes ad Magiæ crimen retulerunt superstitiosas quascumque, improbas & maleficas artes, quibus Dæmonum, ut afferunt, intercedente auxilio atque opera accita nefarii homines utuntur ad inferendas ærumnas aut avertendas, ad præstigia, nefandasque res, & cujuscumque generis maleficia patranda.

C A P U T VIII.

Quibus argumentis constet de vi artium Magicarum.

AT vero Magiæ magicisque artibus eane Dæmonis opera & potestate tot tantasque miras, insuetas, perniciosas res efficiendi vis inest, qua artes illas pollere malefici cupiunt, & plerique hominum credunt? Id scilicet est, quod omni ævo doctissimorum virorum ingenia exercuit, & de quo nostra patrumque memoria gravissimi Scriptores ingenti doctrinæ adparatu, magnaque animorum contentione sedulo quæsierunt, & copiosissime disceptarunt (2). Quæ quidem disputatio ad Criminalem Jurisprudentiam potissimum pertinet. Ab illa enim disputatione quid de crimine Magiæ censendum, quidve statuen-

(1) V. Alph. *Jur. Crim. Lib. III. De Sortileg.* §. 4. *& seq.*
(2) V. de Cauz. *de Cult. Mag. Lib.* 1. *cap.* 4.

tuendum sit prorsus pendet. Quare antequam ulterius progrediamur, ea hic a nobis omnino attingenda est. Quod ita præstabimus, ut breviter primum gravioribus, quæ in utramque partem afferuntur, expositis argumentis, deinde enarrata ratione, quæ probabilior receptiorque esse perhibetur, discrepantes componendi opiniones; unusquisque quid debeat sentire, possit secum animo reputare.

Principio igitur qui Magiæ magicisque artibus summam dæmoniaca opera vim inesse asserunt, ii divinæ innituntur auctoritati sacrarum Litterarum. Ex his quippe constare inquiunt permissum Dæmonibus illudere hominibus, eosque prodigiis editis ad peccandum allicere (1). Cumque ingenii acie Dæmones excellant, multiplici scientia præditi sint, & dotibus polleant, quæ ut ajunt, Spirituum propriæ sunt; jam res possunt humanis impares viribus efficere, quæque homines intelligentia ac ratione comprehendere nequeunt: quo referuntur immissæ a Dæmone in Job virum justum repentinæ acerbissimæque calamitates, prodigia a Magis Pharaonis patrata, Samuel a Pythonissa instante Rege Saule excitatus, & Dæmon denique cui nomen Asmodæus, qui septem priores Saræ viros interemerat, ab Angelo Raphaele in Desertum superioris Ægypti relegatus, ne insonti Tobiæ eidem nupturo noceret. Huc accedunt luculentissima testimonia, quæ innumeri fere diverso tempore diversisque locis

(1) Bodin. *Dæmonom. Lib. II.* Torreblan. *Lib. II.* Del Rio, *Disquisit. Magic.*

locis Magiæ Rei solemniter ediderunt (1), qui in Judicio fassi sunt dæmoniaca fœdera iniisse, cum Dæmonibus habuisse commercium, eorumque opera ac vi miras se res gessisse (2), & maleficia patrasse: Quod si alicui fortasse non admodum hujusmodi testimoniis & confessionibus deferendum esse videatur; quis tamen, ut concludunt dæmoniacæ magicarum artium vis assertores, tam audax erit, qui *universarum* Gentium consensui repugnare, omnium fere doctorum virorum opinionem contemnere, ipsam denique civilium sacrarumque Legum censuram reprehendere non vereatur? Constat enim apud homines vetustissimam fuisse (3) magicarum artium notitiam atque usum, inolitam ubique de præternaturali seu dæmoniaca illarum artium vi persuasionem, cogni-

tum

(1) V. Remig. *Dæmonolatr. Lib. I.* Malleus *Malefic. Tom. II.* Michael *Pneumat.*

(2) Nemo miracula hic cum præstigiis confundat, quæ duo non semper sedulo distinxerunt nonnulli inter eos, qui Dæmonis magicarumque artium opera nihil non fieri posse contendunt. Miracula enim solus Deus edit, qui universas mundanas res finxit, suoque nutu moderatur. *Operatio miraculorum*, ut solide sapienterque docet D. Thom. *Quæst. Disp. q. 6. art. 5. est quoddam divinum testimonium indicativum divinæ virtutis & veritatis; quæ si Dæmonibus, quorum voluntas tota in malum est, daretur, Deus falsitatis eorum testis existeret; quod divinam non decet volantatem.* Itaque plerique graviores Magiæ adsertores docent cum Lactantio *de ver. Sap. lib. 4. num. 5.* artem magicam moliri solum aliquid ad circumscribendos oculos valere. Nec aliter D. Augustinus miracula a Magis Pharaonis edita interpretatur *de Civ. Dei lib. 21. cap. 6.*

(3) Plin. *Hist. Nat. Lib. 30. cap. 1.* Memoir. *de l' Academ. roy. des Inscript. Tom. IV. & VI.* Histoir. Critiq. *des erreurs popul. Amsterd.* 1733.

tum cultiores inter Populos Magiæ crimen, & severissimis pœnis vetitum atque expiatum.

CAPUT IX.

Exponuntur rationes illorum, qui nullam Magicis artibus vim inesse contendunt.

AGe nunc eos audiamus, qui ut de priscis quibusdam Romanis refert Horatius (*1*), somnia, timores magicos, miracula, sagas, nocturnos lemures, portentaque thessala ridentes, ullam magicis artibus vim inesse plane inficiantur, & quorum non exigua semper extitit manus. Atque hi quidem, quos inter nonnulli spectatæ pietatis probatæque doctrinæ viri, compertum esse debere ajunt *Deum*, ut D. Paulus scribit, *non subjecisse Angelis orbem terræ futurum*; (2) ac propterea nulla vi magicas artes Dæmonum opera augeri ac pollere, illasque exercere ac profiteri flagitiosam certe rem esse, modo ad Blasphemiæ, modo ad Superstitionis, modo ad Stellionatus, ac etiam Veneficii delicta pertinentem; sed quæ nequaquam Magiæ crimen tale præseferat, quale vulgo perhibetur. Ab illis autem asseritur congerronum improborumque hominum astu & nequitia, popelli credulitate, Philosophiæ naturalis ignoratione, ac præjudicatis hominum opinionibus factum esse, ut fama præternaturalis seu dæmoniacæ magicarum artium vis excitata primum fuerit, & sensim latissi-

D me

(1) *Lib. II. Ep. 6.* (2) *Epist. ad Hebr. II. 5.*

me propagata (1). Nam quæ de Magis, magicisque artibus habentur in sacris Litteris, ea longe aliter ac interpretentur Magiæ adsertores, ab istius impugnatoribus explicantur, atque ut plurimum ad hariolos referuntur, præstigiatores, atque veneficos aliosque hujusmodi furfuris homines (2). Testimonia porro & confessiones illorum, qui de crimine Magiæ accusati se familiariter usos esse cum Dæmonibus, multaque & portentosa facinora dæmoniaco auxilio ac opera egisse in judicio fassi sunt; nihili censent esse facienda. Ea siquidem partim metu vique tormentorum, partim Judicum, qui reos interrogabant, dolo ac nequitia extorta sunt, partim denique tribui debent præjudicatis ipsorum reorum opinionibus & perturbatæ corruptæque phantasiæ, (3) qua decepti ea se egisse fatebantur, quæ facere quidem concupiverant, sed numquam reipsa patraverant. Historiis autem constat iis in regionibus, ubi, quemadmodum in Lotharingia, bona illorum, qui tamquam Magiæ Rei damnarentur, Fisco Dynastarum addicebantur; (4) frequentissimam superiori ævo fuisse hujus criminis accusationem, & longe numero plures, quam in tota fere reliqua Europa Lamias Magosque inventos & condemnatos esse. Cujus rei caussam subodoratus fortasse, qui tunc apud finitimos Fœderatos Belgas flo-

(1) Scot. *Detect. Art. Magic.* Wier. *de præst. Dæm.* Plerquin. *Ouvres Physiq. & geogr. Dissert.* 18.
(2) V. Bochar. *De anim. Sacr. Script. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3.
(3) Speus *Caut. Crim. Dub.* XX. *& seq.*
(4) V. Montagn. *Es. de Moral. Liv.* 1.

florebat Arnoldus Vinnius emunctæ naris Jurisconsultus, *Multa nimis*, scripsit, *temere credi*, *multa illis* (Magiæ accusatis) *vane affingi*, *multa falsa per tormenta illis exprimi*, *nec paucos per injuriam ignibus tradi mihi persuasum est* (1). Postremo quod pertinet ad communem Gentium consensum, & plerorumque Scriptorum persuasionem de præternaturali seu dæmoniaca magicarum artium vi contendunt qui hanc negant, utramque rem, si quid valet, valere solum, ut isto luculentissimo exemplo evidentius eluceat nullo non tempore homines etiam minime vulgares neque ignares, non gravissimis erroribus obrutos, præjudicatisque opinionibus irretitos fuisse. Itaque disputationem suam sic concludunt, ut eam Seneca jam concluserat scribens (2), *nihil horum quæ vulgo feruntur magicis artibus posse fieri tam certum esse, ut ea de caussa nullius Philosophi schola intranda sit*.

C A P U T X.

Quemadmodum nonnullis visum diversas, secumque pugnantes de vi Magicarum artium sententias conciliare; & quanam probabilior receptiorque illas componendi ratio esse perhibeatur?

QUamquam duæ illæ hucusque expositæ non vulgarium solum, sed etiam eruditorum hominum opiniones, quarum altera affirmat, altera

(1) *Com. ad Inst. Lib. 4. tit. ult. §. item L. Cornel.*
(2) *Lib. 2. Natural. Quæst. cap. 7.*

tera vero negat præternaturalem dæmoniacamque vim magicis artibus inesse, sibi invicem omnino adversentur; tamen fuerunt nonnulli qui viam inire tentaverint utrasque simul conciliandi, ac tantas demum componendi lites, quæ inter unius alteriusque sententiæ patronos jamdiu vehementissime fervent. Atque horum princeps & quasi dux laudatur Scipio Maphejus, vir editis pluribus variisque eruditis operibus notissimus in Litteraria Republica. Cum enim placuisset Maphejo (1) in scenam prodire adversus Hieronymum Tartarottum Academicum Roboretanum, qui vernaculo sermone librum evulgaverat ingenti plausu exceptum (2), quo in libro multæ quidem de Lamiis, nocturnoque earum conventu refutabantur præjudicatæ vulgi opiniones; sed luculentius atque elegantius, quam antea factum esset, præternaturalis dæmoniacaque magicarum artium vis adstruebatur; nactos illico est magni nominis adversarios, nec exiguis difficultatibus cœpit urgeri. Ut autem & ab his sese expediret, & illorum tela evaderet, alio se vertit, atque viam vel primus omnium, vel cæteris sane explicatius, ingeniosiusque inire ingressus est, qua, si fieri posset, discrepantes tuentium æque ac impugnantium præternaturalem dæmoniacamque artium magicarum vim sententiæ conciliarentur. Itaque novo scripto opere (3) tempora distinguenda esse censuit; & agnovit quidem præternaturalem dæmo-

(1) *Art. Magic. dileg. Veron.* 1750.
(2) *Del Congres. nott. delle Lamie. Rovered.* 1749.
(3) *Art. Magic. Annichil.*

moniacamque magicarum artium vim ante Christum natum; sed illam post ejus nativitatem, confectumque divinitus humanæ reparationis opus desiisse penitus multis fretus argumentis, nonnullisque librorum novi Testamenti veterumque Ecclesiæ Patrum locis ad hanc suam confirmandam opinionem adductis contendit. Qua distinctione, pace tanti viri dixerim, nec patronis nec adversariis præternaturalis dæmoniacæque magicarum artium vis satisfecit; quin immo sibi contradicere visus est, ut ei Tartarottus ipse verissime objecit. Ac ii quidem qui præternaturalem dæmoniacamque vim artium magicarum prorsus respuunt, haud passi sunt se a sua dimoveri sententia. Si enim, ut jampridem bene observarunt, visum est Maphejo sapientiæ bonitatique Dei repugnare, ut Diabolum mortalibus sinat illudere; id ante æque ac post Christi Servatoris adventum repugnasset. Atqui primum illud non negat Maphejus; restat igitur ut alterum quoque inficiari nequaquam recte potuerit. Tum vero qui in altera erant sententia adstruente præternaturalem dæmoniacamque vim artium magicarum, ut in nova sua castra transirent ab eis Maphejus impetrare non potuit. Scitissime siquidem regesserunt quibus librorum novi Testamenti locis ipse usus est ad singularem hanc suam constabiliendam doctrinam, ea latius patere, quam ipse velle videatur. Idcirco enim illis in locis Dæmonum regnum eversum, eosque ligatos dici sentiendum, non quia desierint Dæmones illudere mortalibus; sed quod adversus novum regnum, Ecclesiam nempe,

quam

quam Christus acquisivit sanguine suo, & in æternum duraturam constituit, ii prævalere nullo modo possint (1). Tandem & ipsa quorumdam priscorum Ecclesiæ Patrum testimonia, quibus laudatus Auctor vel maxime innititur, constat non ita esse perspicua; ut secus ac ille pro sua illustranda opinione interpretatus est, soleant rectissime a communi Theologorum schola interpretari.

Verum enim vero omissa, quæ neutri parti arrisit, Mapheji opinione dicendum tandem quænam probabilior receptiorque ratio esse perhibeatur dissentientes feliciter componendi sententias, & veteres longasque doctorum hominum contentiones tollendi. Nemo autem hujusmodi rationem solidius concinniusque persequutus est viro doctissimo Thoma Maria Mamachio (2), cujus fere verbis, eadem ratio hic exponetur: scilicet artem esse ullam scientiamque magiæ qui putant, næ ii omnes maximo in errore versari videntur. Nam si qua esset ars magica, ea quidem certe triangulis quibusdam alteriusve generis figuris verbisque contineretur. Atqui nexus colligatioque triangulorum cum naturis vacantibus corpore non modo

do

(1) Non est diffitendum varias esse de iis librorum novi Testamenti locis Interpretum sententias, præsertim vero de loco Apocalypf. Johan. *cap.* 20. At observatum est a Clarif. Mamachio *Orig. & Antiqu. Christ. Lib. III. cap. I. §. VIII. pag.* 134. *not.* 1. neminem Orthodoxorum ante hæc tempora fuisse, qui eumdem Apocalypsis locum sic, ut Mapheius statuit, esse intelligendum arbitraretur. V. Calmet *in cit. cap.* 20. *Apoc. pag.* 922. *edit. Lucens.*

(2) *Orig. & Antiq. Christ. Lib. III. Cap. I. §. VIII.*

do non esse ulla, sed ne comprehendi quidem cogitatione potest. Quotus autem quisque tam est ineptus, ut sibi persuadeat Dæmoni indefinite prorsus permissum vel suo arbitrio, vel cujusvis mulierculæ improbique hominis rogatu accersituque ludificare atque vexare mortales? Sed evenisse interdum, ut superstitiosis impiisque quorumdam Sycophantarum conatibus mali Dæmones faverint, & sic magicis artibus vis, quam natura sua non habent, dæmoniaca opera quandoque accesserit; id & sacrorum Bibliorum auctoritati conforme, & antiqua reverenda traditione confirmatum esse videtur. Quod autem quando contigit, & quidem perraro admodum, ut nemo prudens non it inficias; factum est divino singulari permissu sive ad exemplum, sive ad pœnam hominum, sive aliis arcanis ex caussis, quas nosse non licet, nec audacter fas est perscrutari.

CAPUT XI.

Quænam soleant vulgo tribui Magiæ.

SEd quomodocumque se res habeat, & sive quis probabiliorem receptioremque sequatur, cujus supra meminimus, sive opportunam aliam idoneamque studeat comminisci rationem diversas atque discrepantes de præternaturali dæmoniacaque vi artium magicarum sententias conciliandi; id sane apud omnes constat, scilicet mira quæcumque & portentosa iis artibus fieri & canere Poetas, & Scriptores narrare, & credere vulgus, & Maleficos venditare. Prodi-

tum

tum in primis magicarum artium vi, pluribusque diversis adhibitis superstitionum speciebus morbos diuturnos atque gravissimos hominibus, ipsamque mortem, modo repente, modo sensim inferri. De Germanico quidem memoriæ prodidit Svetonius (1) eum devotionibus tentatum extinctumque fuisse. Tum quoque traditum magicæ operæ adscribendas esse fascinationes, quæ adspectu, oculorum obtutu, lingua ultra placitum laudante peragi dicuntur, & quæ sæpe legas vel audias maleficia conflari, ut somnus obrepat, possint inedia, dolor, tormenta tolerari, tacenda alto premi silentio, ut conjuges impediantur ab usu conjugii, abortus sequatur, pueri rachitidis morbo adficiantur, hisque similia patrentur (2). Contra vero validissimas esse magicas artes ad maleficia quæcumque solvenda, expellendos morbos, sanitatemque recuperandam (3) Leges ipsæ Romanæ aperte

---

(1) *In Caj. Calig. Cap. I.*

(2) V. Apul. *Metamorph.* Damohud. *Prax. crim. cap. 6.* Del Rio *Lib. 2. q. 6.*

(3) Apud veteres quoque Christianos sensim irrepserat usus hujusmodi superstitiosa remedia adhibendi non tam pietatis contemptu, quam fascinatione vulgarium errorum. Ac res tandem eo usque processerat, ut D. Joan. Chrysost. *Homil.* 8. *ad cap.* 3. *Epist. ad Coloss.* aliquatenus martyrio æquaverit " si puer ægrotus amuleta non fecerit. „ Sed ea semper improbavit Ecclesia, & impositis pœnitentiis animadvertit in illos, qui hujusmodi phylacteria adhiberent. *V. Can.* 36. *Synod. Laodic. Can.* 61. *Syn. Sextæ in Trul. Tom.* 1. *&* 3. *collect. Concil. Harduin.* Utinam nec nostra quoque ætate invenirentur, qui superstitiosis remediis fidem adhibere non erubescunt! Cum nonnullis abhinc annis a lethali morbo vix emersus in tertianas febres inci-

te innuere videntur, quibus cavetur, *nullis criminationibus eos implicandos esse, qui magicis artibus remedia ægris corporibus quæsierint* (1). Multa certe ac mirabilia vulgo narrantur de amuletis, quo nomine veniunt remedia magica, ut numismata, ceræ imagines, carmina, potiones narcoticæ, arcana & inusitata verba, quæ ad arcendos morbos & impendentia mala amolienda adhibentur. Et quamvis hæc omnia *commenta hominum*, ut scribit Frommannus (2), *esse videantur rationi & experientiæ adversantia, tamen quemadmodum Marcellinus testatur, quondam medicinæ admisit auctoritas* (3).

Amorem præterea, qui forma solum & moribus conciliatur, philtris magicisque poculis atque carminibus excitari, diuque ali fama est. Verum

Phasias Æsonidem, Circe tenuisset Ulyssem,
Si modo servari carmine posset amor,

ut cecinit artis amandi Magister (4), a quo discent spem omnem abjicere eos debere, qui ut vivat amor ad Æmonias artes recurrunt. Narratur quoque præparatis magico artificio poculis pudicos animos ad libidinem sæpe percitos; & contrà aliquando veteres

E ex-

cidissem, non defuit qui mihi homini philosopho, nec simul ignaro quid liceat Christiano, nescio quod phylacterium omni ope enixus est propinare ad repellendam reversionem febrium, quæ adventante vere mutatoque cœlo sua sponte tandem evanuerunt.

(1) *Cod. Theodos. lib. 9. tit. 18. Leg. 3.*
(2) *De fascin. Lib. I. par. 2. sect. 2. cap. 19.*
(3) *Lib. VI. cap. 18.*
(4) Ovid. *De art. am.*

extinctos amores, & in acre odium extemplo conversos. Veteres autem ita fuere persuasi magicis artibus fruges posse in alienum agrum exportari, imbres, ventos tempestatesque attrahi atque repelli (1), ut Decemviri Romæ Legibus XII. Tabularum pœnas præscripserint adversus excantantes alienas fruges (2); & Imperator Constantinus M. crimine nequaquam teneri eos declaraverit (3), qui magicis artibus fruges conservarent, & grandinem tempestatemque a satis averterent.

CAPUT XII.

Quid rerum Criminalium Scriptores de dæmoniacis fœderibus seu pactis tradant?

NEmo mirabitur tot tantaque portenta, quot superiori Capite retulimus, edi a Magis Lamiisque, nisi qui numquam legerit vel audiverit illos fœdus cum Dæmonibus inire, iisque, ut fit inter amicos, familiariter uti; aut si legit vel audivit, fidem auditis lectisque habere noluerit. Ac multa quidem de illis vulgo feruntur, & a Scriptoribus narrantur, quæ summam profecto cuique admirationem mo-

(1) V. Quintilian. *Declam. XIV.*
(2) Doctissimus Antonius Matthæus *ad tit. II. lib. 47. Dig. num. 5.* " *Verosimile haud esse* scribit *Decemviros de alienis frugibus excantatis legem propositutos fuisse, nisi comperissent id revera contigisse* „. Quantò sagacius Senec. *Quæst. Natural. Lib. 4. cap. 7.* " *Apud nos*, inquit, *in XII. Tabulis cavetur, ne quis alienas fruges excantasset. Rudis adhuc Antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus posse, & repelli* „.
(3) *Cod. Lib. 9. tit. 18. Leg. 4.*

movere debent. Nam credit vulgus, asserunt Scriptores (1), Magos Lamiasque amatorios cum Dæmonibus ludere lusus, eorumque impudicis amplexibus delectari, & concubitu frui: tum vero utrosque transmutari in hircos, volitare per aera (2), statis noctibus ad inferna celebranda mysteria simul convenire, aliaque his similia patrare (3). Nihil Massylæ Sacerdoti magicarum artium vi facto non possibile

(1) Godelm. *De Mag. Lib.* I. Bodin. *De Dæmonom. Lib. II.* Libau. *Strigiport.* Amoen. *De delict. & pœn. tit.* 8. §. 6.

(2) Lucii Apuleji Philosophi Platonici vitam, fata atque scripta nemo vel leviter eruditus ignorat. Is XI. *editis Metamorphoseon libris*, quidquid Magos Lamiasque moliri & facere, quidquid theurgicis artibus peragi posse superstitiosa & credula Antiquitas rebatur, nova elegantique ratione expressit atque delineavit. Sed longe alius ipsi scopus, quam recentioribus Dæmonographis Scriptoribus, quorum agmen ducit notissimus Martinus del Rio. Nam isti quæ collegerunt retuleruntque, ea credidisse videntur, aliisque bona fide credenda propinasse. At Apulejo mens fuit popularium errorum satyram scribere, & magica portenta sic narrare, ut,

Si foret in terris, rideret Democritus.

Nec defuit nostra ætate, qui Apulejum provido consilio imitaretur, nempe Auctor gallici libri inscripti *Histoire des imaginations de Mr. Oufle*, quem nos iis legendum commendamus, qui anilibus narratiunculis præjudicatisque circa hujusmodi res vulgi opinionibus a pueris imbuti sunt.

(3) Temperare mihi non possum, quin inter innumera fere quæ legi Magis Lamiisque tributa portenta speciminis loco unum hoc exemplum subjiciam. Tritthem. *in Quæst.* 3. *ad Maxim.* scribit, *satis sibi constare quamplures sagas verbis & herbis fortissimas quasdam aperuisse seras*. Est hoc vetus Goetarum commentum; scilicet æthiopidis herbæ tactu clausa aperiri omnia: quod referens Plinius *Hist. Natural. Lib.* 36. *cap.* 4. opportunissime animadvertit: *Non satius fuit Æmilianum Scipionem Carthaginis portas herba patefacere, quam machinis claustra per tot annos quatere.*

bile Annæ sorori Dido referebat apud Virgilium (1).

Hac se carminibus promittit solvere mentes
Quas velit: ast aliis duras immittere curas;
Sistere aquam fluviis, & vertere sydera retro;
Nocturnosque ciet Manes: mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Sed ut non defuerunt qui nulla magicas artes vi pollere contenderent, quemadmodum paullo supra (Cap. IX.) narravimus; sic multi etiam quæcumque vulgo de Magis & Lamiis tradita scriptaque habentur impugnare adgressi sunt. Atque hi magno argumentorum adparatu, ingentique rationum pondere instructi Strigiportium, Sabbatha, transmutationes, cæteraque his similia fieri nequaquam posse, nec aliter quam risu a prudentibus doctisque viris excipienda esse demonstrarunt (2). Quin immo nonnulli inter eos veriti non sunt ipsa dæmoniaca fœdera atque pacta, quæ tantopere celebrantur, & quibus rerum criminalium Scriptores docent Magiæ crimen constare, inter vulgares errores technasque referre (3). Ac quod spectat ad Magiam & magicas artes dæmoniacumque commercium sic se rem habere ab eisdem asseritur, ut Seneca jam suo tempore se habuisse innuit. *Quidam enim*, quemadmodum scripsit (4), *incredibilium relatu commendationem parant, & lectorem aliud acturum si per quotidiana duceretur, miraculo excitant.*

Qui-

(1) *Æneid. Lib. 4. v. 487. & seq.*
(2) V. Tartarot. *Congress. Nottur. delle Lam. Lib. 3. cap. 14.*
(3) V. Carl. *Epist. ad Tartarot. de orig. Mag.*
(4) *Lib. VIII. Cap. 6. Quæst. Natural.*

Quidam creduli, quidam negligentes sunt; quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet; illi non evitant, hi appetunt.

CAPUT XIII.

Quæ circa Magiæ probationes Interpretum placitis inventa, Forique usu olim essent recepta.

TEmpus jam est attingendi quæ spectant probationes Magiæ, formamque olim in Foro receptam procedendi adversus illos, qui de ea accusarentur. Ac crimen quidem tantam habens obscuritatem, totque difficultatibus obnoxium quibuscumque ne indiciis atque argumentis probari posse existimabitur? An sine ullo personarum delectu Testibus omnibus, etsi indoctis, rudibus, præjudicatisque vulgi opinionibus imbutis indiscriminatim fidendum erit? An denique confessioni omnino standum ipsius Accusati, de quo semper dubitari jure ac merito potest eum vel deceptum esse vel decipientem? Ita sane docuerunt omnes pene rerum criminalium Scriptores (1), quo tempore nemo fere suspicabatur Magiæ accusatione ignaros prorsus atque innocentes opprimi facile posse atque circumveniri. Vetus profecto hoc fuit generi humano malum, ut scilicet non solum deformes vetulæ senesque morosi, quos egestas & tristis fœdusque corporis cultus male commendaret, populi rumoribus pro maleficis haberentur; sed etiam viri sagaces, industrii & non vulgari doctrina præditi, qui ab

(1) Carpzov. *Prax. Cr. P.* 3. *q.* 49. Remig. *Dæmonol. Sag.*

ab omni meleficiorum labe erant immunes, in Magiæ suspicionem venirent (1). Quod olim C. Furio Cresino evenisse meminit Plinius (2); & de se ipso Lucius Apulejus testatur, qui singulari ingenii vi animique constantia objectum sibi crimen repulit, & periculum damnationis evasit.

Quid? quod multa alia sunt de Magia, tamquam de crimine excepto a rerum criminalium Scriptoribus tradita atque adnotata, quæ partim ridicula, partim sævitiæ plena, partim denique a recto æquitatis jurisque tramite devia vehementer merent improbari. Itaque audiendi non sunt docentes inquisitionem institui in quemlibet posse deficientibus necessariis indiciis (3), fas esse suggestivis interrogationibus accusatum ad confitendum objectum crimen adducere; Reum extrajudiciali sive sua sive socii criminis confessione abunde convinci, nullam illi se defendendi copiam esse faciendam; quæ quidem omnia quan-

(1) V. Gabr. Naud. *Apol. Vir. Illustr. de Mag. susp.*

(2) Quomodo se res habuerit ab ipso Plinio præstat audire. *C. Furius Cresinus*, sic ille narrat *Hist. Natural. Lib. XVIII. cap. 6., e servitute liberatus cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas; in invidia erat, seu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a Spurio Albino Curuli die dicta metuens damnationem, quum in suffragium Tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, atque adduxit filiam validam, & ut ait Piso bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos; postea dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc sunt; possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes, vigilias & sudores. Omnium sententiis absolutus itaque est.*

(3) V. Bohemer. *Elem. Jur. Crim. sect. 2. cap. 4. §. 69.*

quantopere abhorreant ab juris æquitatisque tramite rectaque ratione Criminalia instituendi Judicia, & unusquisque suo ingenio facile percipit & uberrime colligi potest ex Libro tertio nostri majoris Operis (1), Romæ primum editi, aliisque in urbibus pluries deinde recusi, quo universi Criminalis Juris tractationem illustrationemque late complexi fuimus. Cætera his similia persequi nimis longum, immo vero inutile foret (2). Nam hoc est magnæ cuidam nostrorum temporum felicitati tribuendum, ut nimirum quæ frequentissimæ superiori ævo erant Magiæ accusationes damnationesque, hac cultiori humaniorique ætate nullæ fere amplius instituantur.

---

(1) V. *nostr. Elem. Jur. Crim. Tom. III. edit. Rom. Cap. IX. & seq.*

(2) Erudite solideque Tartarot. *Congrèss. Nottur. delle Lam. lib. I. c.* 11. & Clariss. de Cauz. *de cultib. Magicis. lib.* 11. vulgares Criminalium Scriptorum traditiones circa formam inquirendi agendique in Judicio adversus Magiæ accusatos, præsertim vero Lamias refutarunt. Ac certe eo usque res quondam protracta fuit, ut per Germaniam Sæculis XV. & XVI. rursus adhiberi cœperit vetus improbatusque probationis usus per aquam frigidam, ut ejus ope innotesceret, an Lamiæ re ipsa essent quæ de Magia dæmoniacoque commercio accusarentur. Qua ratione hujusmodi probatio fieret nos fuse exposuimus. *nostr. Diatrib. de Ord. seu Form. Judicior. Criminal. Romæ* 1777. *typ. Salomon.* De probatione per lancem & stateram, quæ etiam in usu erat ad Sagas dignoscendas, meminit Del Rio Lib. VI. 6.

CAPUT XIV.

De Pœnis Canonico, & Romano Jure præscriptis adversus eos, qui de Magia accusantur.

Restat ut pœnas exponamus, quæ perhibentur indictæ adversus eos, qui Magiæ insimulati fuerunt. Ac Jure quidem Canonico eædem pœnæ, quas supra Cap. VI. retulimus in Sortilegos præscriptas, illos quoque manent, qui Magiæ student, magicasque artes exercent (1). Jure autem Romano magna severitas in hujusmodi criminis reos adhibetur. Nam usque a primis Reipublicæ temporibus, qui malum carmen canerent, vel fruges excantassent, Legibus XII. Tabularum Cereri sacri erant, idest habebantur tamquam capitis rei: postea S. C. cautum est, ut pœna Legis Corneliæ tenerentur (2). Sacra porro impia nocturnaque, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, facientes, faciendaque curantes I. C. Paulus scripsit aut cruci suffigi, aut bestiis objici; ipsos Magos vivos exuri (3). Tandem Imperator Constantius edixit magicis artibus operam dantes nedum gladio feriendos, ut Imperatoriis Constitutionibus jampridem præscribebatur, sed peste ferali, idest quemadmodum Gothofredus interpretatur (4), vi-

(1) *Cap. 1. & 2. de Sortil.*
(2) *Dig. Lib. 48. tit. Leg. 13.*
(3) V. *Sentent. 23.*
(4) *Cod. Lib. 9. tit. Leg. 6.*

vivicomburio absumendos esse (1). Neque vero desunt exempla illorum, qui de magicarum artium studio atque usu accusati vim hujusmodi Legum experti sunt. Nam Publiciam, Liciniamque una cum septuaginta aliis sociis mulieribus interemptas fuisse narrat Valerius (2), quod maleficas artes exercerent. Sic quoque jussu Consulum Publius Martius extra portam Exquilinam necatus est, Pituanius autem e saxo dejectus. Ambo enim Magiam profiteri, operamque maleficiis exercendis navare redarguebantur (3).

Quod si rerum criminalium Scriptores audiantur, ab eis traditum est extra ordinem arbitraria pœna plectendos esse illos, qui dæmoniaci commercii expertes superstitiosis artibus, sigillis, cribro, ligaturis maleficia fascinationesque solvunt atque depellunt; capite vero puniendos, qui noxam fecerint, damnumque aliquod hominibus vel armentis intulerint sive carminibus sive diris imprecationibus sive pharmacis præparatis (4). At quicumque pacta cum Dæmonibus inierint, vel impudicos luserint lusus, eos docent ignis supplicio mactandos esse.

---

(1) Plato ex antiquiorum Gentium institutis refert *Lib. II. De Leg.* morte mulctatos quicumque ausi fuerint improbis sacrificiis & maleficis incantationibus vitam homini eripere. De Persis narrat Plutarchus *in Artaxerse*, cervicem apud eos lapidibus fractam contritamque fuisse magicarum maleficarumque artium studiosis.

(2) Val. *Lib. VI. cap.* 3.

(3) Tacit. *Annal. II.*

(4) Berg. *Elem. Crim. cap. II.* Struv. *Dissert. Crim. VII.* §. 14.

CAPUT XV.

Quid animadvertendum, quidve præstandum circa crimen pœnisque Magiæ.

QUi nullam præternaturalem dæmoniacamque magicis artibus vim inesse contendunt, quorum jam suo loco monuimus non exiguum esse numerum; ii Magiæ crimen eo ipso tollere e medio videntur, ac propterea non verentur asserere descriptas superiori Capite pœnas numquam juste opportuneque infligi. Cæteri vero, non qui præternaturali ac dæmoniaca vi magicas artes pollere rentur, quos nihil morandum; sed qui singulari divino permissu interdum contingere posse probabilius prudentiusque censent, ut Dæmones conatus juverint scelestorum hominum illis improbe utentium; hi quoque dubitare coguntur an & quando locus esse possit iisdem pœnis jure ac merito irrogandis. Tam enim perraro id ajunt permitti divinitus, ut semper propemodum sit metuendum, ne quis in tanta rei obscuritate ac difficultate, tantaque partim nequitia, partim inscitia perversorum hominum rudiumque muliercularum deceptus sit, vel facile decipiatur. Certe si Apostasia, Blasphemia, Hæresis, vana superstitio, impietas, sacrarum rerum contemptus ususque prophanus, si Stellionatus, Veneficium, aliaque similia facinora adsint, & Magiæ nomine traducantur; oportebit ea sedulo discernere, & pro admisso delicto legitimis pœnis in Reos animadvertere (1). Interest enim Reipublicæ, ne scelera

(1) V. De Cauz. *De cult. Mag. Lib. 3. cap. 2.*

lera illorum abeant impunita, qui ausi fuerint Religionem temerare, alienamque salutem lædere. Nullo autem horum similiumque criminum extante, quod mereat pro communi exemplo puniri; alicubi prudentissime opportunissimeque invectum est, ut qui de Magia adhuc fortasse accusarentur ad Medicos potius remittantur diæta helleboroque curandi, quam ut præterito ævo mos erat, carnifici tradantur immaniter igne cremandi (1). Ita Vindobonæ non semel factum providissimo consilio felicique exitu narrat Illustr. Aulic. Archiat. Antonius de Haen (2). Ac nemo quidem ignorat maximam esse vim phantasiæ, qua fit, ut vel vigilantes aliquando desipiant homines, nec raro gravissime decipiantur; præsertim si morbus aliquis aut tristis eventus cerebri temperationem læserit, animumque vehementer perturbaverit (3). Sic Gennadii cujusdam, de quo loquitur D. Augustinus (4), phantasia se male habebat, ut Cœlitum choris quotidie in-

(1) Quantopere sit proficua hujusmodi cum Lamiis cæterisque, qui de Magia insimulantur agendi ratio, innuere eleganter sapideque videtur Anonymus Scriptor *du Calendrier de Philadelphie pour l'année 1777. A Londres: " Mistriss Rachel pretend que les buchers ardens attirent les Sorciers, comme l' aimant attire le fer, ou comme le papillon vole a la chandelle. Pourquoi ne se trouve t il pas un seul Sorcier dans l' Amerique unie? Parceque on ne s'y est jamais avisè de les bruler.,,*

(2) *Ration. Med. part. XV. Diss. de Mag. part. 3. cap. 3.*

(3) D. Hertod. in Tartarot. *Mastig. Morav.* refert, nobilissimi generis adolescentem tam tetra affectione hypocondriaca oppressum fuisse, ut se equitare, canibus venari, ac Sagarum instar per aera, ut vulgo narratur, volitare sibi videretur; a quo morbo artis medicæ præsidiis tandem feliciter liberatus est.

(4) *De Civ. Dei XVIII. 18.*

interesse putaret: & nemo ignorat epicæ poetices inter Italos principem Torquatum Tassum id sibi persuasisse, Spiritum nempe suos ante oculos obversari, quocum familiarissime viveret. Quemadmodum igitur *plenis temeto geminis exurgit mensa lucernis;* sic contingere solet, ut qui magna vi pollent phantasiæ, veluti fœminæ, rustici, robustior vulgus, ii frequentissime hallucinentur, sibique facile persuadeant quæ numquam fecerant nec facere poterant, maleficia patrasse. Cujus quidem rei innumera pene exempla apud Scriptores occurrunt. De nescio quo homine Magiæ accusato meminit Alexander ab Alexandro (1) eum confessum esse, firmiterque adseverasse ad Tartara descendisse, Ditisque in Regia diu esse diversatum. Plures fœminas, quæ tamquam Sagæ in judicium accersitæ fuerant, constitit suo in lecto somno tranquille indulsisse quo tempore postea narrarunt se volitasse per aera, & convenisse ad convivandum, infernaque celebranda mysteria (2). Tantum phantasiæ vis potest ignaras imbecillesque mentes transversas agere, atque in gravissimos exitialesque errores inducere!

(1) *Genial. Dier. Lib. VI.*
(2) P. Spin. S. Palat. Magist. *Quæst. de Strig. cap.* 31.

LIBER EXPLICIT.